

ORATIO
HISTORICO-DOGMATICO-MORALIS

DE SECUNDA

FILII DEI NATIVITATE

ET OBITER

DE PRIMA.

1829

ORATIO
HISTORICO-DOGMATICO-MORALIS
DE SECUNDA FILII DEI NATIVITATE, ET OBITER DE PRIMA.

JUSSU

Eminentissimi, & Reverendissimi Principis,

FR. VINCENTII MARIÆ
EPISCOPI TUSCULANI,
S. R. E. CARDINALIS URSINI,
ARCHIEPISCOPI BENEVENTANI,

EDITA;

ET AD VERBUM TRANSCRIPTA

EX DISSERTATIONE

DOGMATICO-MORALI
DE AMORE DEI,

Quæ dabitur,ut inserviat Tractatibus singulis Bibliothecæ Moralis R. P. JOSEPHI MANSI, Presbyteri Congregationis Oratorii de Urbe.

CONSULTO' ELABORATA

A R. P. JOANNE BAPTISTA CONVENTATI, Ejusdem Congreg. Oratorii Romani Presbytero.

Unâ cum distinctâ universæ Dissertationis Catta a formello DEA. Neapoli 1739



ROMÆ, MDCCIII. Excudebat Cajetanus Zenobius, SS. D. N. Scalptor ad Curiam Innocentianam.
SUPERIORUM PERMISSU.





EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPIS

R. VINCENTII MARIÆ

EPISCOPI TUSCULANI, S.R.E. CARDINALIS URSINI, ARCHIEPISCOPI BENEVENTANI,

Epiſtola ad Auctorem.

Adm. Rev. Pater.



LLUSTRE, mi Pater, & ingenii quidèm Tui acumine, Tuique animi Religione dignum, Opus, quod aggreſ-

 ſum

ſum Te,ac felicitèr conſummaſſe, nupèr accepi, Diſſertationem ſcilicet de Divino Amore Dogmatico-Moralem, ſingulis diſertiſſimi veſtri Patris Joſephi Manſii Moralis Bibliothecæ Tractatibus illuſtrandis, conſultò elaboratam, fidelis veluti Doctrinæ Tuæ liquorem, ex jugi, dulciſſimoque infinitæ Charitatis fonte hauſtum, quàm ſuaviſſimum reor, ſiccis haùd labiis bibendum, ſenſìm verò omnibus deguſtandum. Longum ego,
cum

cum tarda nesciat Amor molimina, publici quoùsque Juris fiat, non patiar interstitium. Te proindè, quem charissimum præcipuo necessitudinis affectu prosequor, quem eruditissimum in Literariâ Palestrâ veneror, exoratum volo, ut aliquod ejusdem Operis Argumentum citò mihi præbere, Synopticamque Cognitionem, sive Ideam, ut propoma libandam, porrigere ne graveris. Interìm Sanctus, de quo differis, Amor in Corde Tuo æter-

nùm regnet: utinam & in meo: quod ambo Divi Parentis Philippi, cujus cor Amor ipſe Divinus, ampliato mirabilitèr pectoris ſinu, fortitèr, ac ſuavitèr accendit, patrocinio aſſequi mereamur. Vale. Dat. in Sanctâ meæ Archidiœceſis Viſitatione Die 15. Septembr. 1703.

D. T.

Ad officia ex Corde paratiſſimus
Fr. Vincentius Maria Epiſcop. Tuſcul.
Card. Urſinus Archiep. Benevent.

P. Jo: Baptiſtæ Conventati, Romam.

EMI-



EMIN.MO ET REV.MO PRINCIPI,

FR. VINCENTIO MARIÆ EPISCOPO TUSCULANO,

S. R. E. CARDINALI URSINO

ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO,

FELICITATEM.



Nter innumeras, easque gravissimas Curas, quas, EMIN. PRINCEPS ECCLESIAE CARDINALIS AMPLISSIME, *Pastoralis Tibi solicitudo multiplicat: quæque undiquè circumstan-*

tes

tes perennitèr premunt; nequit Charitas Tua, quæ præclaræ indolis nimìs est, ab illis adeò detineri, ut non valeas etiam exteras, eodem momento temporis, animo perlustrare Provincias, ad inquirendum, in quo aliena diligentia desudet: ut ex eorum lucubrationibus, atque vigiliis, nova seligas pascua, quibus commissas Oves, & copiosè nutrias, & suavitèr recrees. Et planè in illo exæstuantis, & perfectæ dilectionis sublimitas fulget, qui jugitèr bonis replere studet penetralia cordis Amantium. Quare cum fueris solerti perscrutatus indagine, me in conscribendâ Dissertatione Dogmatico-Morali De Amore Dei, versari totum; mihi per humanissimas litteras imperasti, ut aliquod Operis mei Tibi transmitterem libamentum, totiusque Dissertationis Ideam; ut in parvo exciperes (quod est excelsarum, divinarumque Mentium) quidquid largo circulo continetur. Ego licèt apprimè sciam, laudabilitèr, atque utilitèr nimìs consuevisse Majores nostros, priusquam typis opera consignarent, eorum Præfationes, Prologos, Synopsin, sive Rudimenta præmittere: ne deinde posset

ſet copioſa Dictio Mentem inopinata confundere; Attamen cum probè etiam noverim, quàm magnum, arduumque ſit dare aliquid in manus Hominum, & præſertim in Tuas, quæ nonniſi cultiſſima, & exquiſitiſſima excipiunt; meam fateor imbecillitatem, pererravi diù, noctuquè animo, inops ægerque conſilii. Et reverâ, quis audeat de hoc Tecum periculum facere: cum tantùm Tu ultrà omnium ſæculorum Sapientes emineas, quantùm à rudibus Sapientes cæteri receſſerunt? Quamvis namquè de ſplendore Natalium fulgentiſſimum Jubar hauſeris, vincens decorem ſanguinis, Ingenii claritate: dum coruſcantem Germinis Tui Lampadem actuum ſerenitate tranſcendis; factus es ſtemmatis Victor Tui, per quod Mortalium plurimos naſcendo ſuperaſti. In mentis Eminentiæ Tuæ Arce, delegit ſibi à teneris annis pulcherrimam ſedem Chorus Virtutum, ac Literarum: ut Poſteritas ambigeret, accepiſſeſne tot, tantaque munera ab ipsâ naturâ, an labore, & ſtudio comparaſſes: præſertìm cum inſtitutionem præcurreres, ut non diſcere, ſed reminiſci quodammodò vi-

videreris. Tanto ingenii acumine praeditus es, ut ſine ſtudio gloriæ apicem promereri omninò credendum ſit: id verò ſtudii adhibuiſti, ut Te velùt inertiſſimum, ad honoris culmen eveheres; itàut cui primas deferam ſtudio, an Indoli, certè dubitem: niſi quod ſumma Eruditio efficiat, ut ſtudio: ſumma autem felìcitas, ut Indoli, omnem laudem, famamque velim addicere.

Incongruum propterea valdè arbitratus ſum, ad Te Operis mei libamina, ſeu ut Tu vocas propoma, mittere: ne præſertìm deſpicabilem aquam hauriret, Quem omnibus conſtat de Sanctorum Patrum Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, & Gregorii torrentibus, profunda aſſiduè, atque fluenta perſpicua potare; ſed rursùm dum cogito, quod ſæpè inter quotidianas delicias, viliores etiam cibi ſuavitèr ſapiunt, meus reviviſcit Spiritus, nec amplius incertus eſt Animus, & libentèr tranſmitto minima Viro Sapientiſſimo, & potiora legenti: ut dum non propoma, ſed cibus agreſtior velut pro faſtidio ſumitur, ad ſubtiliores epulas avidiùs redeatur. Æquo igitur, gratoque animo Operis mei Tibi Rudi-

dimentum mitto, Orationem videlicet Historico-Dogmatico-Moralem De Secundâ Filii Dei Nativitate, in quâ etiam res est de Prima, ex meâ rudi adhuc, indigestâque Dissertatione ad Verbum transcriptam. Quam præ aliis Orationem potiùs elegi, utpotè fusiorem, exibentemque summum, erga Genus humanum, Amoris Divini testimonium (majus namque pro Nobis superna Dilectio haud facere potuit. & melius dare non habuit) & tandem ut, cum tam ineffabilis Mysterii, quamprimùm memoria grata recurrat, valeat Cœlestis Amor Tuus ex meditatione istâ, incrementa talia suscipere, ut quemadmodum Amor ille Seraphycus in pectore B. P. Nostri Philippi Nerii triumphans, confractis, atque elatis duabus costulis, Tyranni dulcissimi functus est munere; ità in Corde Tuo, tanquam in sacratâ fumantique Arâ, non suavissimi Carnificis, sed castissimi Sacerdotis exercens officia, Te totum, jam ab divinis Virtutibus Tuis puram, sanctamque Hostiam effectum, Deo litet, & nobis, arte novâ, Te Pontificem Optimum præstet incolumem. Dedi Orationi sociam

to-

totius Operis, ut jubes, distinctam Ideam, ut Excelsa mens Tua ex parvis lineis picturam meam totam intuitu oculi scrutaretur. Interim Dilectionis Tuæ Sapientiam, Prudentiamque, quà valeo supplicatione deposco, ut quidquid in Oratione, vel in Dissertationis meæ partitione, continetur, vigilanti Charitate perlustres; & si quid Catholicæ Regulæ dissonum: Si quid Sacrarum Scripturarum Auctoritati reperitur adversum: Si quid tandem malè digestum, expressum, asperum, divisum, distributumque fuerit, prout Tibi videbitur prorsùs abscindatur: vel ad Sacrum Intellectum correcta revocetur sententia: & ad ordinem, regulamque suam malè disposita dirigantur; quatenus quod scientiæ meæ imbecillitate depravatur, ad rectam lineam Sapientiæ tuæ præstantia reformetur. Unum dumtaxat, cum omni reverentia, & obsequio, vellem eloqui; quod si Tibi videatur Oratio, quam mitto, non bene partita, non figuris ornata, nimis longitudine laborare suâ, quid probandum in eâ non fuisse propositum, non divisum; scias, non fuisse exaratam, ut ad Populum haberetur:

sed

ſed opportunè pro meâ Diſſertatione conſcriptam; neque ſimplicem, puramque orationem extare, aliquo ex generibus Rhetorum circumſcriptam: ſed peculiarem eſſe, nempè Hiſtorico-Dogmatico-Moralem; Remque novam: & ni fallor, à nemine, quem viderim, hucuſque excogitatam; & Sanctos Patres ità Orationes conſcripſiſſe ſuas: ſic conſueviſſe ſimiles, æqualeſque pertractare Materias, quorum Viam, Artem, Rationemque pro viribus imitari conſtitui, ſatìs omnibus Sapientibus conſtat.

Quantùm verò ſpectat, INCLYTE PRINCEPS, *ad occaſionem, rationemque ſcribendi, & ad Argumentum Operis mei, ſciendum eſt, nequaquam de hiſce Rebus diſſerere, animo inſediſſe meo: cum etiam Te non lateat, me aliis in ſtudiis, plurimis ab hinc annis, immorari aſſiduè. Sed cum ab his Vigiliis detinerer; perlatum eſt mihi, typis iterùm mandari Venetiis, Tractatus Bibliothecæ Moralis R. P. N. Joſephi Manſii diſertiſſimi Viri, cujus memoria in benedictione eſt. Accurrunt illicò quidam ad me Exteri, tum aliqui ex Noſtris, & miſcentes impulſibus preces, flagitant, ut Eruditionis*

tionis Sacræ aliquid unicuique Tractatui vellem adjicere: firmiſſimè namquè aſſerebant, ipſius etiam Auctoris ſententiâ, tali omninò ope Tractatus ſingulos indigere. Ego ne mea à conſuetis ſtudiis Mens diſtraheretur, primò renui, conſtantes, graveſque rationes in medium protuli; Tandem verò ſuaſionibus, & præcepto devictus, haùd potui non acquieſcere, manum Operi admovi: & poſt plurimos menſes, abſolutum ferè laborem Venetias tranſmittere cogitabam. Rediit interìm fama, & parùm felicitèr tulit, primum Tomum Bibliothecæ jam fuiſſe cuſum, & ſub prælo eſſe ſecundum: unde ea, quæ à me parata erant, non poſſe ampliùs ſuis locis aptari. Dolui ſiquidem valdè: ad quid enim ab occupationibus, vigiliiſque meis animum diſjunxiſſe, ad quid tanto tempore elaboraſſe, & non profeciſſe?

Rursùs poſteà de hoc Additamento cogitanti mihi, venit in mentem, Dogmatico-Moralem de Amore Dei poſſe Diſſertationem elaborari, uberem adeò, feracemque, ut ſola Tractatibus ſingulis fortiùs, nobiliùs, atque jucundiùs ſuffragaretur;

Immò

Immò incomitata etiam, sibi soli innixa, universas Christiani Orbis valeret læta peragrare Provincias: & Bibliothecæ præfatæ innumerabilium Tractatuum tumultum terribilem, ingentemque strepitum Rerum excutiens, in auras veræ libertatis emergeret. Et taliter, PRINCEPS OPTIME, *mecum fui ratiocinatus. Duo sunt, dicebam, quæ, ferventibus odiis, inter se de parvi Orbis imperio confligunt, Virtus, & Voluptas: seu Hierusalem cœlestis, atque terrena: sive duæ Voluntates: vel duo Amores, Charitas, & Cupiditas: uno verbo Amor Dei, & Amor sui. Stat medium cor hominis: & omnium malorum est radix Cupiditas: & omnium Bonorum radix est Charitas. Mergimur, & emergimus: sed per illam mergimur, per istam emergimus; illa nos deprimit, ista attollit. Ex hac totum est, quod bonum est: ex illâ totum est, quod malum est. Quidquid magnum in nobis est, ex Amore Dei est: quidquid vile in nobis est, ex Amore nostri est. Et ex hoc cor humanum bonum est, si bonum est: nec aliunde malum est, si malum est. Immò in uno Amore solo, tota rei*

summa consistit, & circà illum vertitur cardo. Etenim omne quod est, Bonum est; sed cum id, quod Bonum est, malè amatur, illud Bonum est, & hoc Malum est; namquè

Hæc tua sunt Bona, sunt quia Tu bonus ista creasti.
Nil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes
Ordine neglecto pro te, quod conditur abs te.

Ergò nec qui amat, Malum est: nec quod amat, Malum est: nec Amor, quo amat Malam est: sed quod malè amat, & hoc omne Malum est. At cum malè amat, Cupiditas dicitur, cum benè amat, Charitas nominatur. Et ex Cupiditate, Superbia, Avaritia, Iræ, Rixæ, Ebrietates, Commessationes, Luxuria, Accidia, omniaque mala, velùt à quâdam turbidâ, stygiâque Palude, scaturiunt; Et ex Charitate, Humilitas, Liberalitas, Eleemosynæ, Pax, Concordia, Temperantia, Sobrietas, Jejunia, Castitas, Virginitas, Orationes,

omnia-

omniaque bona, tanquam à quodam Sacro Augustoque fonte, abundantèr emanant, & perennitèr profluunt. Quem fontem Dominus voluit hìc ponere, ne deficiamus in viâ: & abundantiùs eum bibamus, cum ad Patriam venerimus. Undè concludebam, aptius ad rem, excellentiusque non posse excogitari Argumentum, quo uno tractatus singuli Bibliothecæ, qui sunt numero XCVII. complecterentur, nisi illud de Amore Dei, ut sub unico Themate, Dissertationeque Tractatibus singulis suum fieret additamentum.

Non levitèr tamen, PRAESUL EMINENTISSIME, *absque jactantiâ dictum sit, in tanto conscribendo Opere, quod fortassè nec publici juris faciam, & laboravi, & laboro: tàm ob immensum materiarum numerum, ut Tu etiam videris innuere, toto cœlo inter sese distantium: hìnc de omnibus ferè rebus, quæ in usu sunt, & apud Dogmaticos, & penès Scholasticos, & Morales, Ascetesque, sub unico præsertim Themate, differere operæpretium fuit; Quàm ob Argumenti sublimitatem, atque præstantiam. Quid namquè Amore Dei ex-*

cellentius, quid charitate augustius, cum & Deus ipse sit Amor, cum & Deus ipse sit Charitas? Et quid pretiosius, quid luminosius, quid firmius Amore Dei? Et quid utilius, quid securius, quid fortius charitate? Ille Divinas tres Personas indissolubili nexu conjungit; ordinat Angelos in ministeriis suis; traxit Omnipotentem è Cœlis; junxit Humana Divinis, terrena cœlestibus sociavit; omnia Ecclesię Membra colligat, vivificat, atque corroborat, & ipso plena sunt omnia. Ille est, qui, in principio non Æternitatis, non Ævi, sed
Genes. cap.1. *Temporis, quandò Deus creavit Cœlum, & Terram, ferebatur super aquas: non tantùm, ut illas ad salutiferum Baptismi Sacramentum instituendum sanctificaret, Quantùm, ut illis incubando, & fovendo, quodam quasi calore vitali prolificas redderet: cum ex rudi illâ, indigestâ, confusâque materiâ, omnium Viventium, & Mixtorum multitudo, seriesque universa educenda esset. Recogita, Amorem totum ibì occupatum, consilio, sapientiâ, providentiâ, ac ipsâ in primis affectione: Nam dum rudis materia fovebatur Christus cogitabatur*

tur Homo futurus. Gignebat igitur fovendo, & fovebat gignendo tunc Amor omnia semina rerum: præbebat ponderum momenta corporibus, unde sursùm levitate, sive deorsùm gravitate niterentur; dissonasque Elementorum qualitates concordabat, immò copulabat in unum; Quare fovens, discernens, segregans, fingens, formans, animans, ornans, omnia inter se mutuo concordiæ vinculo colligavit, fecit splendescere cœlos, Axes circà rotantes, constituit terminos aquis, & necessitate defixit immota sub jugum commune; unde mirabilis Universi pulchritudo comparuit.

Hanc rerum seriem ligat
Terras, & Pelagus regens,
Et Cœlos imperitans Amor.

Boet. lib. 2. Met. 8.

Quod Universum posteà deformatum per culpam, in die salutis, post tot, tantaque sæcula, restauravit: renovans iterùm faciem Terræ, vitamque gratiæ, & veram Ecclesiæ, atque animæ cujusque, ut ità loquar, animam impressit: &

Boet. ibid.

O felix hominum genus,
Si veſtros animos Amor,
Quo Cœlum regitur, regat.

Et illa, Charitas ſcilicet, eſt animarum vita, Prophetiæ virtus, Sacramenti ſalus, ſcientiæ ſolidamentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. Quid tàm magnanimum, quàm pro impiis mori? Quid tàm benignum, quàm & inimicos diligere? Sola eſt, quam felicitas aliena non premit, quia non æmulatur. Sola eſt, quam felicitas ſua non extollit, quia non inflatur. Sola eſt, quam conſcientia mala non pungit, quia non agit perperàm. Inter opprobria, ſecura: inter odia, benefica: inter iras, placida: inter inſidias, innocens: inter iniquitates, gemens: & eſt in veritate, reſpirans. Quid illâ fortius, non ad retribuendas, ſed ad curandas injurias? Quid illâ fidelius, non vanitati, ſed æternitati? Nam ideò tolerat omnia in præſenti vitâ, quia credit omniâ de futurâ vitâ; & ſuffert omnia, quæ hìc irrogantur, quia ſperat omnia, quæ hìc promittuntur. Quid ergò Amore Dei excellentius? Quid cha-

charitate augustius? Et quid difficilius, quid magis arduum, quàm unicâ Dissertatione XCVII. Tractatibus suffragari?

Et sublimes, innumerasque materias, dissitas præcipuè, coacervatas, & tumultuosas, imbecilles, parvæque mentes non sustinent: & in ipso conatu ultrà vires ausæ, succumbunt: quantòque majus, & copiosius fuerit, quod dicendum est, tantò magis obruitur, qui magnitudinem, & multitudinem rerum, verbis non potest explicare. Magnum igitur opus aggressus sum, laboriosum & arduum: & utinam nostris votis facta respondeant. Quod si virtutum omnium est iter difficile, profectò difficillimum erit illud Charitatis, cum sit regina Virtutum. Quarè ego, utroque pede claudus, ob defectum & Luminis, & Flaminis (quod & mihi tam justè, & opportunè exoptat inclytæ Tuæ Charitatis Clementia) in hunc altissimum non dicam Montem, sed Montem Montium, conscendere jussus, difficultate rei territus, valdè trepidavi, & trepido: quia & si gloriosum sit ad summa contendere, ignominiosum satis est, inefficaci gressu deorsùm

 rue-

ruere. Non est difficile per plana quemlibet incedere: ubi nec anxiè anhelat, qui graditur: nec penitùs conteri formidat, qui labitur; Cum verò ego coactus sim de Amore Dei meam instituere orationem, & sic ascendere virtutum verticem, nihil hoc ascensu expertus sum laboriosius, nec casu quidquam periculosius; Et qui ad radicem montis attactum pii Medici cum Leproso solicitus operiri debebam, impulsus sum illicò conscendere excelsa: & squammis cæcitatis meæ nondùm detractis, transfigurati Domini gloriam, & Discipulorum contemplari lætitiam. At hoc unum habeo in tantâ difficultate solatium, quod non temerario ausu prosilui, sed instigatione, & imperio victus, tanta probavi: melius arbitratus, quamvìs infirmo gressu pedetentìm progredi, quàm nec tentando, quæ jussa sunt, inobediens inveniri.

Quoad stylum tandem attinet, Ecclesiasticus est, Sanctorum Patrum pro viribus fui semitas persecutus; quod ideò præstiti, cum in illorum dicendi formulis, non solùm gravitas, & venustas, sed & gustus quidam, saporque divinus inveniatur:

tur:

tur : unde legentium animi ad res divinas capessendas ferventiùs properant, & anhelant. Et ob id sæpè Lectorem meum voco Dilecti nomine, dicens O' DILECTE, *quia & ipsi Patres, & nominatìm Chrysostomus, hac voce dulcissimâ, Amoris undique perfusâ nectare, non rarò usi sunt. Immò ab adorandis illis nostrorum Veterum monumentis, si quid boni in opere meo reperitur, accepi; Nec hujus idcircò me pudet: etenim quidquid benè ab ullo dictum est, meum est; Adivi veneranda Patrum Sacra Volumina, tanquam publicos fontes: adivi tanquam omnium, meamque etiam hæreditatem: mihi ista acquisita sunt, mihi elaborata sunt. Quare illa, cum præsertim componerem, utrâque semper versavi manu, non ut æmularer (improbum namquè hoc, ac penè furiosum) sed tamen imitarer, & sequerer: quantum id diversitas ingeniorum maximi, & minimi, aut caussæ dissimilitudo pateretur. At cum Doctis, & Semidoctis scribam, satisfactum iri utrisque cupio: quatenùs nec illis sordidi, nec his videamur obscuri.*

Et ecce, EMIN. PRINCEPS ECCLESIAE

CAR-

CARDINALIS AMPLISSIME, *me incautum, improvidumque, loco ad Te epistolam scribendi, potiùs præfatum esse, quæ ad universam Dissertationem meam, reor maximè pertinere; sed parce, & scias, non id à me adeò inconsultò effectum fuisse, cum Sapientiam, Prudentiamque Tuam de omnibus voluerim reddere certiorem. Si quid ergò in eo, quod Tibi transmitto, dixero, quod placeat, quod sufficiat: vel si non sufficiat, saltem placeat, memento, non esse meæ indigentiæ, sed divinæ sufficientiæ. Si quid verò ita dixero, ut non sufficiat sancto desiderio Tuo, nec placeat; non esse sufficientiæ divinæ, sed indigentiæ meæ; proindè Christiana Charitas Tua utrobique operis sui partes exhibeat, ut sufficientiam Dei gratantèr agnoscat, & indigentiæ meæ patientèr ignoscat. Interìm Tu, qui accensus es & accendens, cujus tempus est tempus Amoris, quique, suscepto duplici Pontificatus officio, non magis ex ordine Dignitatis ascendisti, quàm in arcem quoque summæ Charitatis excrevisti; & sanctitatis meritum Tibi suscepti Ecclesiastici Curæ Regiminis addidit, quod aliis* ex-

excellentissimis etiam Viris sæpè minuere consuevit; Tu, inquam, ardentibus orationibus Tuis, mihi impetra apud Dilectum, *ut desiderem jugitèr Illum, qui est super omnia,& quod est* Unum *&* Omnia, *& quod est* Unum *in omnibus; & amem assiduè* Amorem, *amem amare, & à Deo amem amari; Et id, ut assequi valeam, concedat* Divinus *ille* Amor, *ut in me semper ignis charitatis augeatur, donec compleatur: Et semper flamma cupiditatis minuatur, donec finiatur. Vale; & mei in Te profundum obsequium, humilemque reverentiam foveat Æternitas. Romæ ex Ædibus Vallicellanis tertio Kal. Octobris MDCCIII.*

Emin. V.

Humill. Obsequentiss. & Devinctiss. Famulus
Joannes Baptista Conventati.



APPROBATIO.

ORationem de Secunda Filii Dei Nativitate &c. ab Admodum Reverendo, & Eximio Viro P. Joanne Baptiſta Conventati Congreg. Oratorii Romani Presb. compoſitam (Opus quidem ſingulare, ac præclariſſimum) nedum non eſſe Fidei Catholicæ, aut bonis moribus diſſonam: Sed Divinis Scripturis, Sanctorum Patrum ſententiis, ac Theologorum Doctrinis omnimodè conſonam: ac ad Dei Redemptoris dilectionem legentium corda mirificè excitare cenſeo.

F. Fridericus Nicolaus Gavardi Ord. S. P. Auguſtini, in Sapientia Romana Sacræ Scripturæ Interpres.


IM-



IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magi-ſtroSacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſgerens.



IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædicatorum SacriApoſtolici Palatii Magiſter.





SEQUENTIS ORATIONIS DE SECUNDA FILII DEI NATIVITATE, ET OBITER DE PRIMA:

ARGUMENTUM.

DUÆ ſunt Chriſti Nativitates, ambæ mirabiles, ambæ ineffabiles. Una Divina, altera Humana. Una, per quam efficimur, altera, per quam reficimur. Illam ſine tempore novimus, hanc in tempore prædicamus. Illam ſine Matre, iſtam

istam sine Patre. Illa ex Patre
Jo: c.1. initium nescit, quia: *in Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; ista ex Matre initium sumpsit, quia: *Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis*. Sed si istam in tempore non comprehendimus, illam quæ in æternitate, quomodò enarrabimus? Proindè obitèr de illâ, fusiùs de istâ. Sed quis etiam istam comprehendet, cum sit Nativitas nova, inusitata, unica in Mundo, & credibilitèr facta, & toto Mundo incredibilitèr credita: ut Virgo conciperet, Virgo pareret, Virgo pariens permaneret? Sed hoc, quod humana ratio investi-
gare,

gare, ſcrutari, & invenire ſatagit, & non invenit, fides capit: & luminibus, argumentiſque ſuis, ipſa Fides illuſtrat, quæ nobis benigna ſubminiſtrat, ut faciliùs de Secunda, quàm de Prima diſſeramus; Præſertìm cum Diſſertatio noſtra hìc de Secundâ, non de Primâ, Orationem nos habere compellat.





ORATIO
HISTORICO-DOGMATICO-MORALIS.



LOcuturus de Secundâ Filii Dei Nativitate, obiterquè de Primâ, Re adeò ineffabili, & suprà Mentem, sine, *ò Dilecte*, ut priùs, ope precationis, ascendam ad Deum, & ipsius implorem auxilium, in hæc verba compellans.

Deus Omnipotens, semper vivens, semper immobilis, in quo nulla esse potest opinio: ineffabilis & immensus: incomprehensibilis & incorporeus, à quo averti est cadere, ad quem converti resurgere, in quo *Divini Numinis imploratur Auxilium.*

 ma-

manere consistere : à quo exire mori , in quem redire reviviscere, & in quo habitare vivere ; Immutabilis & perpetuus : incommutabilis & incircumscriptus : à quo Omnia, per quem Omnia, in quo Omnia; stant enim apud *Te* causæ omnium stabilium, & omnium mutabilium apud *Te* incommutabiles manent Origines:& omnium Rationalium, atque Temporalium sempiternæ vivunt rationes ; Bonus, quia fecisti existere, quæ non erant ; Æquus, quia quæ fecisti, ut proficerent, proprio fuere libertatis Arbitrio insignita ; Misericors, quia peccantibus non facilè reddis, sed benignè sustines, ut conversis ignoscas ; Verus, cum sis ipsa veritas, cujus contemplatione perfruimur, & quam, beati efficimur, intuendo ; *Lumen*, *&* *Amor* ; Lumen, ut intellectum informes, Amor, ut affectum inflammes ; Qui, inexplicabili quadam ratione, incorporeas Mentes tanto igne comburis, & luce tantâ perfundis ; nemo namque sinè *Te* Luce conspicere, & sine *Te* Igne valet foveri : sed opus est, ut illustretur, accendatur, & trahatur à *Te*, ducatur ad *Te*, & collo-

cetur

cetur in *Te*; *Tu*, inquam, *Deus æternus*, *Lux*, & *Amor*, in cujus Luce, lux mea eſt, & in cujus Amore, amor meus eſt, da (oro *Te* per *Te*) lucem menti meæ, da flammam Cordi meo, da Verbum Ori meo.

Cæleſtem Menti da Tu conſcendere Sedem.
Da Fontem luſtrare boni; da luce reperta
In Te conſpicuos Animi defigere viſus.

Ut propoſita Res abſque errore intelligatur, intellecta piè ſcribatur, ſcripta ſine periculo animo capiatur. Qui enim de *Te* aliquid intelligere, effari, vel ſcribere nititur, magnum ſubit errandi periculum, niſi ejus mens illuſtretur à *Te*: ejuſque locutio, vel ſcriptio ita elevetur, ut audientes, aut legentes eam rectè percipiant. *Tu* igitur intelligendi, exprimendique Vires tribue, quas petentibus promiſiſti. Coram *Te* eſt inſcitia, & ſcientia mea: illam corrige, iſtam dirige; ut qui hæc legerint, vel audierint, continuò mecum intelligant, & diligant *Te*. Et quoniam

pars altera Cœli ſum, altera Terræ: undè Corpus, quod corrumpitur, aggravat Animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem; diſcinde, precor, terrenas nebulas, & pondera molis: atque tuo ſplendore, obſcuram interioris hominis mei faciem, illumina. Subde ſpiritui Carnem, appetitum Rationi, utrumque *Tibi*. Fac, ut Animus ſub *Te* Judice tremat; fac, ut Caro ſub Animo Præſide, ſerviat; ut, univerſis ſuo bene compoſitis ordine, & Intellectus capere, & Voluntas diligere, & lingua digne *Te* laudare mereatur.

Precibus ita præhabitis, antequam exordiamur, videndum, quid Evangelica narret Hiſtoria.



In

I.



N illo tempore exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syrię Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam Civitatem. Ascendit autem & Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem: eò quod esset de Domo, & Familia David: ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, prægnante. Factum est autem: cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit Filium suum primo- Lucæ cap. 2. Euangelica Historia proponitur.

genitum: & pannis eum involvit: & reclinavit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diversorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos: & claritas Dei circumfulsit illos: & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere; Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in Civitate David. Et hoc vobis Signum, invenietis infantem pannis involutum: & positum in præsepio. Et subitò facta

est

est cum Angelo multitudo Militiæ Cœlestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

§. 1. Deus omnipotens in se sufficientissimus, nullo ex se indigens: alioquìn nec per se sibi esset sufficiens, neque absque Creaturis posset esse Beatus; cujus felicitas nequit augeri, quia perfecta: nec minui; quia æterna; Propter ineffabilem gloriam suam, non augendam, quia infinita: sed manifestandam, cum sit summum Bonum: cujus est esse sui diffusivum, & communicativum; Ex supereffluenti suæ Bonitatis Clementia: cujus est secundùm omnem differentiam esse communicare (Dei namque perfecta sunt opera) videns se communicari posse, minui non posse: volens in alios suam effundere Bonitatem, sola charitate, nulla sui necessitate, per *VERBUM* tanquam per Ideam, & sapientiam suam: in principio, non Æter-

Deus ut summum Bonum diffunditur in creatione universi.

Æternitatis, ſed Ævi, rationales creavit ſpiritus, Angelos ſcilicet, ut ſummum illud, & ineffabile Bonum intelligerent, intelligendo amarent, amando poſſiderent: & ita ſuæ Beatitudinis eos efficeeet eſſe participes.

§. 2. Horum tamen rationalium ſpirituum, licèt una, eademque videatur origo, facta eſt tamen diverſa conditio: dum alios in ſua puritate, in æterna felicitate confirmavit in Cœlis: alios autem propter ſuperbiam, præcipitavit ad Inferos; ut in æternum, ob tanti criminis facinus, cruciarentur. Verùm cum non omnes illius ineffabilis Bonitatis, divitiæ notæ, atque diffuſæ eſſent: tum per Angelorum, tum per totius ſubſtantiæ in-corporeæ creationem, *Artifici VERBO* viſum eſt, animal unum ex utroque creare: hoc eſt fabricare Animal, ex inviſibili, & naturâ viſibili, hominem nempè; atque à materiâ (quæ jam creata erat) corpore accepto, ex ſe autem ſpiraculum illud, ſeù illam Divinam auram, quam Scriptura, Dei imaginem appellat, & animam: velut ſecundùm quemdam, & alte-

rum

rum Mundum, in parvo magnum, in terrâ constitueret; Angelumque alium terrenum, plasmatum ex natura visibili, & invisibili, à Cœlestibus Angelis paulò imminutum; Regem omnium, quæ in terrâ erant: Imperium accipientem à Cœlis, terrenum & Cœlestem, caducum & immortalem, Spiritum & Carnem, faceret; Ut & ipse, divinum illud bonum contemplaretur: ei semper inhæreret: ipsumque, quo beatificandus erat, & ex ipso quodammodo per affectum sugeret: & de ipso per desiderium ebiberet: & ipsum per gaudium possideret.

§. 3. Fecit igitur hominem, quem arbitrii libertate donavit: ut bonum, non minùs illius esset, qui elegisset, quàm ejus, qui semina præbuisset; collocavitque in terrestri Paradiso, plantarum immortalium Cultorem: divinarumque fortassè cogitationum; nudum, omnisque integumenti, & munimenti expertem. Talem enim esse conveniebat eum, qui primùm esset creatus: simplicem nempè, rectum, innocentem, & propthereà inverecundum: quia nullus erat motus in corpore, cui vere-

recundia deberetur; nihil putabat velandum, quia nihil senserat refrœnandum. Deinde Legem porrexit, quasi libero arbitrio materiam. Accessit postea Tentator invidus, & expugnatâ muliere, per hanc etiam superavit Adamum, qui mandati oblitus accepti, & ne sui contristaret cordis delicias (ò infirmitatem meam: meam enim duco primi parentis infirmitatem) infelicitèr deceptus, superbus & ipse, Legis præcepta contempsit: & tanti criminis ictu, posteritatem suam totam miserè vulneravit; hujusque vulneris, nos ejus filii, quolibet momento, experimenta sentimus. Quare infelix ille parens, ob sceleris adeò gravis nequitiam, è Paradiso expellitur: tunicas pelliceas induit, primùmque turpitudinem, suamque cognoscit infamiam, mortique percipit jam se esse subjectum, mancipiumque Diaboli se etiam evasisse cognoscit.



II.

I I.

§. 4. HInc deindè, velùt ex quâdam radice pessimâ, mala innumera pullularunt: mutuæ cædes, adulteria, rixæ, fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ, luxuriæ, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, libidinis masculæ vitium: & quod omnium malorum extremum, ac primum est, idolorum cultus, adorationisque ad creaturas à Creatore translatio. Venerandum namque Dei nomen Soli, Lunæ, Cœlo, & syderibus homines tribuerunt; Et terram ipsam, fructus ex eâ editos, alimenta corporum, Deorum habuerunt in numero: quippè qui Cereri, Proserpinæ, Bacco, alijsque similibus, muta Simulacra fabricarunt. Immò suæ ipsorum mentis cogitationes, Deos, veriti non sunt appellare; hinc mentem vocavere Minervam; Etiam Orationem vocavere Mercurium: ejusque facultates, quibus scientiæ percipiuntur, Mnemosynem, cetera-

Mala ex peccato originis.

rarumque Musarum nominibus nuncuparunt.

§. 5. Neque hic certè finem suæ stultitiæ statuerunt, sed extrà modum impietate progressi, absurdè ipsorum perversitati in dies, quasi accessionem adjungere, suasque animorum perturbationes in Deos reponere; Ac non cupiditatem solum, & gravem illum intemperantemque animorum morbum, sed partes & membra corporis, quæ homines ad turpia flagitia pertrahunt, nimirùm Amorem, Priapum, & Venerem, qui ad obscenas voluptates, sunt effusè proclives: res denique alias, de genere eodem, cęperunt dicere Deos. Deinde ad corporum ortus, & hanc fragilem, mortalemque vitam prolapsi, mortales homines consecrarunt: & eos post mortem hanc usitatam, atque communem, Heroas, Deosque nominarunt: quippè immortalem divinamque essentiam, aç vim circà eorum monumenta, atque sepulcha, observari suspicati sunt.

§. 6. Neque adhuc eorum amentia exitum habuit: sed longiùs procedens, tum

tum alia genera animalium ratione carentium, tum Serpentes maximè, Dei sanctâ appellatione honorarunt; Deinde verò, excisis arboribus, & effossis de terrâ lapidibus, atque metallis, fœminarum effigies, masculorumque figuras, ferarum etiam, atque Serpentium effinxere, & honoribus affecere. Uno verbo omnium bestiarum deformium species, omnia animalium genera, Serpentes venenatos, feras agrestes, aliaque, dixere Deos. Et nonnulli, eò venere dementiæ, ut res sibi charissimas illis etiam sacrificarent, suæque nec ipsorum naturæ parcerent: sed unigenitos, charosque liberos, furore, mentisque alienatione impulsi, mactarent. Atque quid quesò magis poterat esse insanum, furiosum ac barbarum, quàm Demoniis, lapidibusque litare mortales: universasque Civitates, atque adeò suas ipsorum ædes, suorum cæde, & cruore polluere?

§. 7. Vos appello, vos tantorum facinorum testes sitis, ò Græci; an non sunt vestræ historiæ earundem commemoratione refertæ? Phenices quotannis unicos

cos liberos Saturno immolabant : idemque à Rhodiis factum est : quippè pridiè Non. Maii mactabant homines. Salamini etiam, intra unum ambitum delubri Minervæ. Agraulidis, & Diomedis, vir quidam incedens circuivit : cujus deindè pectus Sacerdos hastâ confixit : posteà in rogo acervato, extructoque, totum cremavit. Sed cædes hominum, quæ in Ægypto fiebant, nequeunt numerari. Nam Heliopoli tres homines in dies singulos sacrificabant, quod cum Amoses eorum Rex detestaretur, totidem homines cereos immolari præcepit. Laodiceæ quoque, quæ est Urbs Syriæ, Virgo quotannis Minervæ immolabatur, deinde verò Cervus. Et Carthaginenses, & Liybici, hominum Sacrificiis,placabant Deos;Arabesque in annos singulos puerum sacrificabant : quem deinde subter Aram, sepeliebant ; omnesque Græcos, ex communi quadam consuetudine, hominem priùs mactasse, quàm exirent ad bellum, antiqua scriptorum Monumenta testantur.

III.

§. 8. VErùm Omnipotens, pius, & misericors Deus, ad revocandas hominum mentes à tot tantisque erroribus, atque criminibus, in quibus excæcati infelicitèr detinebantur, eos paternè sæpiùs admonuit, tùm Sermone, tum Lege, tum Prophetis; Beneficiis quoque, Muneribus, & Promissionibus frequentèr illexit; deinde, quia his omnibus filii Adam abutebantur: eorumque malitia magis magisque crescebat in dies; vehementiori remedio usus est. Afflixit ergo humanum genus aquis, incendiis, plagis, bellis, cladibus, signis è Cœlo, ex aere, ex terra, ex mari; Tum insperatis mutationibus Hominum, Urbium, Nationum, & Gentium, aliisque flagellis, quæ sacra narrat historia, prophanique etiam recensent Auctores: ut ità misericorditèr admonendo, bonam revocaret ad frugem.

Variis modis conatur Deus Hominem à malo retrahere. Misit tandem Filium suũ: & cur decuerit Filium, incarnari, potiùs, quàm Patrem, vel Spiritum Sanctum.

§. 9. Denique, quia omnia hæc, mortalium contemnebat malitia, tribuebatque Casui, Fortunæ, Fato, influxibus Sy-

derum, & Planetarum, atque his similibus: & depravata, corruptaque natura, majori indigebat auxilio: jamque ad summum nequitia hominum venerat, cum abundantia iniquitatis fecisset oblivionem, & inopiam penitùs æternorum; dedit benignus, & misericors Deus potentius auxilium, quo non posset exoptari majus, nec excogitari validius; hoc fuit *IPSE DEI FILIUS, UNIGENITUS, QUI EST IN SINU PATRIS, VERBUM IPSUM ARTIFEX, PER QUOD FACTA SUNT OMNIA*. Ille qui est sæculis prior: Ille incorporeus: Ille incomprehensibilis: Ille invisibilis: Ille ineffabilis. Lumen de Lumine, Sapientia, Splendor, & Figura Substantiæ Patris; ut per eundem *Artificem VERBUM*, eandemque imaginem, & ideam, per quam fuerat homo formatus, per eandem reformaretur. Quodque nostram infirmitatem assumens, hominem, per Divinum Magisterium, summum bonum ostendendo, à sensibilibus revocaret, doctrina erudiret, exemplo doceret, gratia adjuvaret, & virtute sanaret.

§. 10.

§. 10. Nullo namque majori animorum æſtu, ſententiarumque certamine, quàm in quæſtione de ſummo Bono pugnaſſe Philoſophos, qui ante Chriſti Natalem per orbem famâ increbuerant, ſatis omnibus ſapientibus conſtat. Præcipuè verò duo errores reperiuntur inter ſe adversâ fronte collidi: unum conſtituentem in corpore, alium conſtituentem in animo ſummum Bonum. Rationem autem Veritatis, quâ ſummum Bonum noſtrum Deus eſſe intelligitur, utrique reſiſtere. Fuere Epicurei, fuere Stoyci, inter ſe accerrimè dimicantes: tantamque litem conati ſunt dijudicare Platonici, occultantes veritatis ſententiam, illorumque vanam in falſitate fiduciam, convincentes, & redarguentes; ſed non ſicut illi errorum ſuorum, ita Platonici veræ rationis perſonam implere potuerunt.

§. 11. Cum igitur tanta eſſet in terris cœcitas mentium ob peccatorum ingluviem, amoremque carnis: ut etiam iſta Sententiarum portenta, otia Doctorum diſputando conterere potuerint; dubitabit nemo, ullo modo ad ſequendam Ve-

ritatem meliùs consuli humano generi potuisse, quàm ut homo ab ipsâ veritate susceptus ineffabilitèr, atque mirabilitèr, & ipsius in terris personam gerens, recta præcipiendo, & divina faciendo, salubritèr credi persuaderet, quod nondum prudentèr posset intelligi, & fide æternorum ad eorum contuitum repararet. Minus efficax enim fuisset authoritas, tantarumque rerum fidei commendandæ impar: nisi ipsa Veritatis, & Sapientiæ Persona suffultus, Magister affuisset.

§. 12. Sed ubi primùm Christiana Philosophia spargi in Orbem cepit, vehementer obluctatos illi esse Stoycos, & Epicureos: utpote qui Catholico Dogmate suum penitùs intelligerent labefactari, Apostolorum Acta commemorant: Non ità verò adversati fuere Platonici: animadvertentes nimirùm, stupendum per omnia propèmodum nostræ fidei, ipsorumque Sectæ consensum; Hinc aliis contitescentibus Scholis, Platonici, quasi animos addente suâ nobiscum cognatione, extulere frontem: suamque de invisibili, & incommutabili veritate, de bono-

Act. cap. 6. & 7. & alibi.

norum fine, de Naturarum Arfice Deo; de ratiocinandi fonte sententiam, quam hactenùs occultarant, in lucem proferre, palàmque sunt ausi profiteri; unde illi Platonicæ Scholæ Primates, Plotinus, Porphyrius, Jamblicus, Proclus, aliique celebèrrimi floruere; & Christianorum operâ mites effecti, moliti sunt, à Sensibilibus ad intelligibilia inclinatos animos ad se pertrahere multitudinis. Sed in cassum cecidit illorum conatus; illi enim ipsi vel Christiani facti sunt, & è Scholâ Platonis quasi è Vestibulo Ecclesiam ingressi: vel retrò in Magicas sunt Artes abrepti. Utcumque res se habuerit, certum est, ipsos eloquentissimos licèt, & eruditissimos, omnibusque humanis præsidiis communitos, non valuisse, non dicam, in humanum genus, sed vel in unam gentem, in unam saltem Urbem, suam invehere Philosophiam, & in mores inducere. Solùm hoc potuit Veritatis Persona, quæ propter nostram salutem de Cœlo venit: ideo invicta, ideo victrix, quia Veritas; cujus Authoritate contumacissimi fracti sunt, cujus fide purgati

ſunt immundiſſimi : mundati autem ad intelligibilis lucis regionem, quaſi poſtliminio redierunt.

§. 13. Deſcendit igitur de Cœlo Veritas, ut non ſolum nos fuſo cruore redimeret, ſed etiam erudiret, ut omnia calcaremus quæ mala ſunt. Hinc Veritas ipſa omnia contemnendo, quæ pravi homines cupiunt : omnia perpetiendo, quæ horreſcunt : & omnia faciendo, quæ mirantur; genus humanum ad tam ſalubrem fidem ſummo amore, ſapientia ſumma, ac ſumma authoritate convertit. Æternus Deus Filium nobis videndum diſtulit, hominem tandem videndum obtulit : occidendum attulit : imitandum contulit : credendum tranſtulit, ut tanto fidei Magiſterio ad ipſum videndum mentis oculus ſanaretur. Quomodo enim bonus Magiſter à diſcipulo poſſet exigere, quod ipſe non facit? Præceptis premitur libertas noſtra, relevatur exemplis; unuſquiſque enim cum audit præcipientem, non vult imponi ſibi neceſſitatem parendi, tanquam ſibi jus libertatis adimatur. Tu ipſe quæ præcipis, fac, ut ſciam poſſe fieri;

ri;

ri; inde evenit, ut Philosophorum præceptis obtemperaret nemo, cum insolentia videretur, ut homini libero vellent imponere leges,quibus ipsi non parerent. Malunt homines exempla magis, quàm verba: quia facile est loqui, sed præstare difficile; Et ob id misit Deus Filium suum factum ex Muliere,factum sub lege, ut & nos doceret Verbo, & quæ docebat, monstraret exemplo. Discant igitùr homines, & intelligant, quare Deus summus, cum Unigenitum suum mitteret, ad erudiendam præceptis justitiæ suæ humanitatem, eamque adiuvandam gratiâ fidei, quæ ab illo est, mortali voluerit eum carne velari, cruciatibus affici, & morte mulctari: nam cum justitia nulla esset in terris, & nos essemus infirmi, fecit, à Filio nostram infirmitatem assumi, ut & sua nobis insereret, & in se nostra curaret; & ut Virtus & Sapientia Patris, posset nos adiuvare virtute, & informare doctrinâ. Duplex enim nobis præparavit remedium, cujus aliud est in Sacramento, aliud in Exemplo: ut per unum conferantur Divina, per aliud erigantur Humana:

 quia

quia ficut Deus juftificationis eft Author, ita homo devotionis eft debitor.

§. 14. Et ex his liquet, quàre potiùs Filium, quàm Patrem decuerit incarnari: ut quòniam ipfe Filius eft, per quem facta funt omnia, & fine quo factum eft nihil: quique plafmatum de limo terræ hominem flatu rationalis vitæ animavit; idem naturam noftram, ab Æternitatis Arce dejectam, amiffæ reftitueret dignitati, & cujus erat conditor, effet etiam reformator. Ille namque reficit, qui formavit, imaginemque obliteratam folus Artifex, reftituit ad exemplar imaginis. Verbum etiam eft *Ratio* primaria, & per illam maximè conducebat, à vitio homines revocari, quo fuerant irrationales, & quafi dementes effecti. Venit proinde Filius & non Pater, quia *Ratio* debebat ftoliditatem noftram fanare, & in priftinam revocare celfitudinem. Prætereà, ut rationalem partem, ab irrationali in fervitutem redactam, Ipfe, rationale *Verbum* exiftens, repararet, atque redimeret. Adde, quod venit naturalis Filius miffus à Patre, ut mediator effet inter Deum Pa-

trem

trem offenſum, & homines offendentes: & convenientiùs erat Filium ob id incarnari, cum facilius Mens humana ſuſcipiat Filium ſupplicantem, quàm Patrem Omnipotentem. Adde etiam, quod non aliter nos diſcere poteramus, quæ ſunt Dei; niſi Magiſter noſter *Verbum* exiſtens, homo factus fuiſſet; neque enim alius poterat enarrare, quæ ſunt Patris, niſi proprium ipſius *Verbum*; Quis enim alius cognovit ſenſum Domini, aut quis alius conſiliarius ejus fuit?

§. 15. Venit ergo Filius incarnari non Pater: quia Filius eſt Patris imago: & decebat, ut mediocritas, & fragilitas conditionis humanæ, Deum Patrem videre aliquando jam tunc aſſueſceret in imagine, hoc eſt in Dei Filio. Gradatìm enim, & per incrementa debuit per imaginem nutriri ad iſtam gloriam humana tenuitas, ut Deum Patrem videre poſſet aliquando: periculoſa ſunt namque, quæ magna ſunt, ſi repentina ſunt. At innaſcibilitas eſt propria Patris, & Nativitas Filii: & illa occulit, iſtà producit: illa in receſſu latitat, iſta in propatulum prodit: illa ſe

col-

colligit, ſua ſibi eſt, nec foràs emicat, iſta effluit, ſpargitque ſe, & latè ſe fundit; ergo Filium non Patrem incarnari decebat.

§. 16. Tandem Deus Pater deſcribitur, ut quies, ut Silentium, Potentia, Latibulum, ideòque hactenùs inviſibilis, impervius, imperſcrutabilis, in ſeſe conſiſtens: quo excogitari nihil poteſt, vel ad exprimendam Deitatis in ſuo fonte abſtruſiſſimo ſolitudinem: vel ad removendam à Patris Perſona temporalem Incarnationis decentiam. Filius verò deſcribitur idipſum quod Pater; ſed quod Pater intùs, Hic forìs; quod Ille clàm omnibus, Hic palàm; quod Ille in quiete, Hic in actu; Ille in ſilentio, Hic Verbum; Ille potentialitèr, Hic actuosè; Ille in latebra, Hic in propatulo. Eadem ergo ſubſtantia, una utriuſque Deitas: ſed ibi ut in ſuo fonte in ſe ſubducta, hìc ut in flumine longiùs producta: ibi complicata, hìc explicata. Ergo creaturæ congreſſus, carniſque ſuſceptio, quantùm incongruit Patri, tantùm convenit Filio ex ſingularis proprietate Perſonæ. Hinc Filius, Ima-

go,

go, Forma, Vita, Intelligentia, Verbum, & consimilibus apposité Nominibus insignitur; quique ea omnia à fonte quodam quietis foràs erumpentis, & ab explicatione latebræ prodeuntis repetuntur; Nam Intelligentia, & Vita actione constant: actione nimirum stante, non fugiente: perennante, non dilabente, actione tamen. Forma, Imago, Verbum in propalatione quadam latitantis arcani versantur, ut vis ipsa Nominum, & officium cujusque significat; & vix ulla Filii occursabunt usquam Nomina, quibus non horum alterutrum, vel utrumque designetur. Si igitur intelligentia gignitur Filius, ea jam actio est quædam, & passio: licet immobilis actio, & impassibilis passio: tamen illa Filium indicat potius, quàm Patrem, humanam assumere debuisse naturam; quippe cum Pater innascibilis, & impassibilis sit ex personali proprietate, vel appropriatione, ei non convenit nasci in carne, aut pati in cruce. Denique per Filium facta sunt omnia, & ipse creat, ipse conservat, ipse renovat, ipse regit, ipse judicat, ipse beat; quia hęc om-

omnia ab actu, à vitâ proficiſcuntur, ideò à Filio; nec enim Pater fontalis quies, & potentia, & ſilentium cum ſit, poteſt hęc omnia præſtare, niſi per Filium, ideſt per actum, & vitam. Sicut ergo non poteſt Filius à ſe facere quicquam quia non poteſt niſi à quiete, potentiâque Patris in vitam, actumque proſilire: ita nec Pater niſi cum Filio, & per Filium poteſt facere quicquam, quia niſi per actum non poteſt quies, & potentia foràs exilire. Sed quod Pater facit etiam per Filium, à ſe ipſo habet, à quo & ipſe oritur Filius.

§. 17. Decuit ergo Filiū magis, quàm Patrē, noſtram infirmitatem aſſumere: quia conveniens non erat, ut Pater ab alio mitteretur, qui non erat ab alio: & propterea Pater ab alio non habet mitti, quia ab alio non habet eſſe. Miſſus eſt autem primùm Filius, qui eſt à ſolo Patre: deinde etiam Spiritus Sanctus, qui eſt à Patre, & Filio. Primùm Filius venit, ut homines liberaret: poſteà Spiritûs Sanctus venit, ut homines beatificaret. Primùm Ille à malo liberavit: poſteà Hic ad bona revocavit. Ille abſtulit, quod ſuſtinebamus:

mus: Hic reddidit, quod perdideramus. Venit Filius Dei, & factus est filius hominis, ut filios hominum faceret Filios Dei; & ne Filii nomen ad alteram transiret personam, & essent in Trinitate duo Filii, & confunderetur discretio Trinitatis. Si enim Pater Carnem assumpsisset; idem ipse, & Pater, & Filius esset. Pater Filii, quem genuit ex æternitate: & Filius Matris, à quâ genitus esset ex tempore. Si autem Spiritus Sanctus carnem assumpsisset; duo Filii in Trinitate essent. Alter Filius Patris sine matre, alter Filius Matris sine Patre. Ne ergo incommunicabile nomen divideretur, solus Filius Carnem suscepit: ut unus, & idem esset & Filius Dei, & Filius hominis. Filius Dei secundùm Divinitatem genitus à Patre: Filius hominis secundùm humanitatem natus ex Matre.

§. 18. Sileat nunc turba illa stultorum, qui affirmare non verentur, non potuisse alitèr Dei sapientiam hominem liberare, nisi hominem suscepisset, & ex Virgine natus fuisset; omniaque illa à peccatoribus passus. Nam satis, quæ dicta

cta ſunt eos de tàm inſigni temeritate manifeſtè redarguunt. Ulterius verò dicimus: poterat omninò, ſed ſi aliter feciſſet, ſimilitèr eorum ſtultitiæ diſplicuiſſet. Si enim non apparuiſſet oculis peccatorum lumen ejus utiquè æternum, quod per interiores oculos intuetur, inquinatis mentibus videri non potuiſſet. Nunc quia viſibiliter & verbo, & exemplo nos dignatus eſt commonere, ut ad inviſibilia præpararet: diſplicet avaris, quia non aureum corpus habuit: diſplicet impudicis, quia de Virgine natus: diſplicet ſuperbis, quod contumelias patientiſſimè pertulit: diſplicet delicatis, quia cruciatus eſt: diſplicet timidis, quia mortuus eſt. Et ut non vitia ſua videantur defendere, non in homine dicunt ſibi hoc diſplicere, ſed in Unigenito Dei Filio. Non enim intelligunt, quid ſit Verbum Dei, quod hominem aſſumpſit, & quid ipſa humana creatura; quæ mutationibus ſuis in priſtinam firmitatem revocabatur, ut diſceremus, docente ipſo Domino, infirmitates, quas peccando collegimus, rectè faciendo, cum divinæ gratiæ adjutorio, poſſe ſanari.

IV.

I V.

§. 19. ANtequàm verò iſtud *Verbum* Artifex, Unigenitus Dei Filius pro ſalute humani generis veniret in propria, quia ſui eum recepturi non erant, ne de ignorantiâ ſui adventus excuſationes in peccatis aſſumerent: & ut reliquos homines de tanto Sacramento informaret; ſigna præmiſit, litteras illis direxit, & ante faciem ſuam nuncios deſtinavit. Propter eà his tribus, videlicet ſignis, Litteris, & Nunciis ſuum liquidò declaravit adventum; non enim venire ſolus, aut ſubitus debuit, qui cum veniſſet, binos & binos ante faciem ſuam legitur deſtinaſſe.

Prophetia, & alia oracula de Adventu Redemptoris.

Luc. c. 10.

§. 20. Præmiſit itaque ſigna, ideſt myſteria figurarum, direxit litteras, ideſt teſtimonia Scripturarum, deſtinavit Nuncios, Perſonas videlicet Prophetarum. Præſignatus eſt enim in figuris: ut Iſaac natus de ſterili, naſciturum Chriſtum de Virgine præſignavit. Virga fronduit, & attulit fructum, quia concepit Virgo, & pe-

Gen. c. 21.
Num. c. 17.
Exod. c. 3. & 16.
Ind. c. 6.

peperit Christum. Hoc ipsum (innumeris aliis relictis) Ignis in Rubo, Manna in deserto, Pluvia in Vellere figuravit.

§. 20. Prænunciatus est in Scripturis, ut in Genesi: *Ipse erit expectatio Gentium.* Et alibi: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Inter innumera verò Scripturarum oracula, illud maximè adventum Redemptoris nostri designat, quod in Genesi legitur: *non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est*; etenim si legamus Historias, inveniemus profectò, in ejus adventu tantum fuisse adimpletum arcanum, cum Herodes, qui tunc in Judæa regnasse scribitur, non ex Judæorum esset progenie, sed ex alienigenis natus, & auctoritate Augusti Cœsaris, justo Dei judicio, Judæorum regno injustè potiebatur. Etenìm extremi Hyrcanus, & Aristobolus, filii Alexandri Sacerdotis, Pontifices extiterunt, qui facibus succensi cupiditatis, regiam affectantes dignitatem, contrà se invicèm dimicarunt. Hinc utiquè occasionem præbentes Romanis, ut itidèm Judæam hostes in-

Gen. c. 22.
Bar. c. 3.
Gen. 49.

invadant. Quorum primus Pompejus, captâ Urbe, atque templo reserato, usque ad Sancta Sanctorum velut tyrannus accessit. Aristobolum quoque vinctum secum adduxit, & Pontificatum Hyrcano tradidit. Deinde verò Antipatrum, cujusdam Ascalonitæ filium, qui fuerat olim, ut ajunt, æditmus templi Ascalonis, procuratorem Palœstinæ Provinciæ fecit. Vnde Herodes, sub quo natus est Christus, hujus Antipatri filius ab Hyrcano Romam directus in notitiam Octaviani Augusti, ac Senatus venit. Sed postea Hyrcano mortuo, destructoque Pontificatu, nihil ad eum pertinens, utpote Antipatri Ascalonitæ, & Matris Cypridis Arabicæ filius, à Romanis contraditum undecimo Regni Augusti anno, Principatum Judæorum Alienigena suscepit. Cujus sanè progenies per successiones, ut Scripturæ ferunt, tantispèr idem regnum tenuit; & Sacerdotio in templo nullus secundùm legem successit: donec Civitas, ac templum usque ad solum diruta unâ cum populo deleretur. In hoc quippe tempore cœpit hostia, & Sacrificium,

Dan c.9. juxtà Danielem deficere, & in templo abominatio desolationis esse. Ac deincèps usquè ad consummationem, & usquè ad finem, juxtà eundem Prophetam desolatio perseverat.

§. 22. Annunciatus est etiam per Pro-
Isai. c.7. phetas, ut per Isaiam: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel*. Hìnc David promissionem Dei, prophetico Spiritu, canit,
Psal.131. dicens: *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super Sedem tuum*. Et
Abac.c.2. Abacuc: *Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit*. Et
Dan.c.9. Daniel: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem Sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum*. Et tandem innumeris aliis propheticis instrumentis sepositis, de quibus inferiùs etiam recurret oratio; idem
Isai. c.7. Isaias sic ait: *Egredietur Virga de radice*

Jesse,

Jesse, & flos de radice ejus ascendet; in quâ Virgâ non dubiè Beata Virgo Maria prædicta est, quæ de Jesse, & David stirpe progenita, & Spiritu Sancto fœcundata, novum florem carnis humanæ, utero quidem materno, sed partu est enixa virgineo.

§. 23. Sed & Gentilibus etiam suum, Unigenitus Dei Filius, futurum declaravit adventum per celeberrimos Philosophos, Hydaspen videlicet, & Trismegistrum, aliosque, qui de tanto futuro recondito arcano fuere haud obscurè locuti. Tum & per Sybillas, quæ cæteris gentibus authoritate maximâ præstiterunt adeò, ut certæ, constantisque veritatis haberentur quæcumque, illæ fuissent effatæ, & proverbio diceretur

Credite me vobis folium recitare Sybillę.

Etenìm, ut Marcus Varro refert, in palmarum foliis oracula scribere consueverant, quod & Virgilius cecinit; & omnia, quæ prædicebant, singulis obstupescentibus, eveniebant; Et earum aliquæ Virgi- *Marcus Varro.* *Virg. l. 6. Aeneid.*

 ni-

nitate, & Sanctitate florebant; Et tandem cum essent scientiæ, & artis ignaræ, composita heroico Carmine, ut plurimùm effundebant oracula.

V.

B. Virgo annunciatur.

§. 24. His oraculis jam impletis; electæ Virgini, cui nomen Maria, de semine Abrahæ, ac de radice Jesse, per propheticas voces, & per mystica signa promissæ, denunciatur (prout fusè in præcedenti Oratione dictum est) ab Archangelo sine damno pudoris beata fœcunditas, Sacram Virginitatem nec conceptu violatura, nec partu. Superveniente quippè in eam Spiritu Sancto, & Altissimi obumbrante virtute, incommutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanæ carnis assumpsit: quæ & nullum contagium de concupiscentia carnis traheret, & nihil eorum, quæ ad animæ, corporisque naturam pertinent, non haberet.

Extat in Dissert.

§. 25. Postquam verò Maria Sacro

fuit

fuit gravidata fœtu: Exiit Edictum à Cęſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis. Et quidèm multæ gentes erant, quibus non imperabat Auguſtus: Sed hoc Edicto regnum Chriſti exprimebatur, qui omnibus erat imperaturus. Quis enim poſſet totius Orbis profeſſionem exigere, niſi qui totius haberet Imperium? Unde Fidei noſtræ inſpectioni manifeſtiſſimè patet, quæ per univerſum fuit orbem diffuſa, & mirabilitèr undique corruſcavit. Et Redemptor noſter Unigenitus Dei Filius homo factus, qui omne condidit genus humanum, inveniri, atque conſcribi homo inter homines humanis legibus voluit: quatenùs per hoc, ſuos conſcriberet in æternitate Cœleſtis Patriæ Cives, per quod idem humano dignatus eſt imperio ſubjacere.

Naſcitur Chriſtus, & de triplici ſilentio.

§. 26. Urgente ergo Auguſti Cœſaris Edicto cogitur Virgo vicina partui, proprios lares deſerere, ædes alienas petere, longam terere viam, & per montuoſam peregrinari Regionem: Virgo (inquam) tenera, & gravida, Virgo publici neſcia, domi aſſueta, Virgo ſuper omnes fœmi-

nas prudentissima. Neque minus Sponsi Sanctissimi anxietas, & afflictio dissimulanda: cum, pervagatis singulis quibusque domibus, nullum Virgini reperit domicilium: nullum sibi & Sponsæ adinvenit hospitium. Tristabatur utiquè, & seipsum fortè talibus infortuniis improperabat, sibique uni, hospitii repulsam attribuebat: & quantòmagis illam, omni honore dignissimam, cogitabat, tantòmagis illam videns inhonoratam, dolebat; sed Sacræ Virginis temperabatur eloquio, illum adhortantis, ut libenti, forti, & alacri animo ista pateretur, sciens, sine permissione Dei, nihil fieri posse, & quod Vir bonus, quidquid ei acciderit, æquo animo, debet sustinere.

§. 26 Sivè igitùr, necessitate cogente, sivè quia advenarum tumultum, & frequentiam diversorii Virgo horrebat, in porticum quandam Civitatis, muro proximam, hospitari consilium fuit. Est locus sub rupe cavâ, non hominum manibus, sed, Deo fabricante, constructus, quem tanto mysterio ab initio natura formaverat, & ne unquàm sacra deficeret

ædes,

ædes, non ex lapidibus, non ex lateribus, ſed ex fortiſſimâ, & duriſſimâ rupe, omnium Creator defixerat, unde & hodie omnium Sacrarum illius temporis ædium ſola permanſit, cæteris aut bello, aut vetuſtate conſumptis.

§. 28. O' locum Sacrum, ò locum benedictum, ò Porticum Cœlo parem, myſtico illo Tabernaculo digniorem, Sancta-Sanctorum ſanctiorem! Quem tibi & Angeli, & homines non debent honorem, cum in te naſcatur Dominus & Angelorum, & Hominum? O' quantâ inclytum, inauratum, & gemmatum dignitate ſuperas Templum: Templum, inquam, illud magnificum Salomonis, tantâ mole conſtructum, toto orbe celeberrimum, cunctiſque mortalibus admirandum. Felix Bethlehem tanti Regis ditata Natali: Felix Creatoris tui Patria, quæ de tanto Filio gloriaris. Lætare Bethleem, & per omnes Vicos tuos, feſtivum alleluja cantetur. Quæ tibi civitas, quæ regio, quod regnum pretioſum illud ſtabulum non invideat? Hoc te toto Orbe celebrem fecit: hoc famam, nomenque tuum cunctis gen-

 tibus,

tibus, ubiquè terrarum publicavit: hoc tuam ſuper Aſtra gloriam evexit: propter hoc ubique laudaris, ubique deſideraris, undiquè terrarum, confluentibus in te gentibus, avidiſſimè frequentaris. Non Oriens ſuos detinet Indos, & Occidens ad te ſuos mittit Iberos, ut à Solis Ortu uſque ad Occaſum tua Gloria decurrat.

§.29. Intrat interim Virgo regia, pauperis hoſpitii incompoſitas anguſtias: intrat Domicilium undiquè ſordidatum: domunculamque vento, & frigori perviam, gratantèr inhabitat. Non ibi Sella, non Lectus, non Menſa, non Ignis, non denique Suppellex alia, præter Præſepium humile, paſcendis animalibus aptum. Hæc ſunt, ò bone Jeſu, partus ſolatia, quæ Matri Puerperæ præparas? Hæ deliciæ, hæc ampla palatia, hæ opes, hic miniſtrantium apparatus? Quis jam de adverſâ fortunâ conqueratur: quis de ſuâ ſorte audeat indignari: quis quantumlibet adverſa patiatur, non æquo animo ferat. Mater Dei hæc ſuſtinet, Mundi Domina, & Regina Cœlorum, hoſpitio tali recipitur, & indignabitur vilis Vermiculus,

quid-

quidquid illi accidat, quomodocunque tractetur: & Pauper, non gratias aget in tam despecto loco Filium Dei videns? Se similem Deo nostro in paupertate cognoscens? Et si dura sibi acciderint, nonne in ipsis gloriabitur, cum tam dura, & aspera Matrem, & Filium, & pro se ipso pati perspiciat?

§. 30. Instabat jam hora illa Sacra, hora rutilans, super omnia tempora benedicta, hora mundi solatio ab initio destinata; & *dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de regalibus sedibus venit*. Sap.c.18. Sed quid est istud medium silentium? Tria sunt silentia, ò *Dilecte*; Primum est ignorantia languoris; Secundum est desperatio curationis; Tertium est adeptio sanitatis. Primum silentium fuit ante Legem; Secundum inter Legem, & Gratiam; Tertium erit in gloriâ. Primum silentium fuit, quando homo non agnovit morbum suum: & idcircò siluit, & quærebat remedium. Sed postquam lex subintravit, & ostendit languidis vulnera sua, statim ruptum est silen-

lentium, & cœperunt mòx ægri ſalutem quærere: ſed quia per opera legis, ubi ſalus non eſt, ſanari volebant, quod quærebant, non inveniebant. Tandem igitur conſiderans homo per legem, neminem juſtificari poſſe, quaſi poſt diuturnos clamores fatigatus, & jam deſperans rurſum loqui ceſſavit, & ſubſecutum eſt ſecundum ſilentium. Tunc ergo Omnipotens Verbum Dei Patris in carnem veniens, rupit ſilentium, locutum eſt pacem, dedit gratiam, propoſuit miſericordiam, promiſit veniam: & cœperunt ęgri currere ad medicum, & quaſi magnis clamoribus,ſic purâ fide cordis, & verâ confeſſione oris, flagitare remedium. Hoc itaque, in præſenti vitâ hac, agitur, ut homo, per gratiam Dei, ſanitatem recipiat. Sed cum plenam ſanitatem receperit, & ad illam felicitatem venturæ immortalitatis perductus fuerit, non erit amplius, quod petat: & tunc ſequetur tertium illud beatum ſilentium,quod nunquam finem habebit.

§. 31. Inter primum & medium ſilentium, multa verba ſonuerunt, inter me-

dium

dium & ultimum ſilentium ſonat unum verbum. Multa verba fuerunt, multiplicia legis mandata, quæ per Moyſen data eſt. Unum Verbum eſt Jeſus Chriſtus, per quem nobis Dei gratia facta eſt. Moyſes famulus Dei multa verba, & multos Sermones protulit. Deus Pater unum Verbum, unumque Sermonem miſit. Sed Sermones Moyſis omnipotentes non fuerunt, quia quod dicebant, facere non potuerunt, & ideo tandem quandoque in promiſſione ſilverunt. Et tunc omnipotens ſermo venit, qui non ſolum dixit, ſed quæcunque dixit, immò quæcunque voluit, fecit. Iſte Sermo, iſtud Verbum adhuc loquitur, quandiù, in fidelibus ſuis, promiſſiones ſuas operatur. Sed cum promiſſa impleverit, tunc quaſi loqui ceſſabit. Cum autem ſpromiſſa impleta fuerint, quia amplius non aderit, quod petatur, felix in ſempiternum ſilentium erit. *Dum* ergo *medium ſilentium tenerent omnia*. Bene *omnia*; hoc eſt non ſolum illi, qui in petitione clamabant, ſed & illi, qui in promiſſione inhiabant: *& nox in ſuo curſu medium iter haberet*. Nox in Sa-

crâ

crâ Scripturâ, aliquando pro Diabolo, aliquando pro membris ejus peccatoribus iniquis, aliquando pro peccato, aliquando pro præſenti vitâ, & pro præſenti vitæ termino accipitur. Per noctem ergo in hoc loco mortalis hujus vitæ fluxus ſignatur, ſicut per diem alibi claritas vitæ perpetuæ. Præſens ergo vita nox eſt, vita vero futura, dies. Nox iſta habet veſperam, dies illa habet auroram. Veſpera præſentis noctis, fuit inclinatio illius diei; aurora illius diei, fuit inclinatio prę-ſentis Sęculi. Veſpera hujus noctis, fuit, ex quò Adam peccavit, donec acceptâ ſententiâ mortis à Paradiſo pulſus, in tenebras hujus mundi exiit. Aurora ſequentis diei eſt, à Reſurrectione Chriſti, uſque in finem Sæculi. Ergo vita iſta nox eſt. Vide ergo *ò Dilecte* ordinatiſſimum divinæ diſpenſationis conſilium; Quando omnis recuperandę ſalutis ſpes perierat, & mors omnia deorſum ſecum rapiebat, peccatumque ad ſummum venerat, tunc Omnipotęns ſermo liberandis mittitur, ut amplius munus divinæ gratiæ commendetur.

§. 32. Currebat igitur hora iſta, ſilentium

tium iſtud, nox iſta; & verè nox in ſuo curſu medium iter agebat; cum ecce virgineus undique vultus immutatur: rubent coloribus genæ, totaque facies alioquin candida purpuratur: itaùt albentibus liliis aſſimilare nunc illam poſſes, purpureis mixtis roſis, fervido agitur Spiritu, inſuetiſque ardoribus beatiſſima illius Anima inflammatur; æſtuebat intùs deliciis, inundanteſque gaudiorum impetus, tenerum pectus portare nequibat. O' Mater noſtra, Virgo benedicta, numne iſti ſunt ſacri partus dolores? Iſtę puerperii intolerabiles anxietates? hæ torſiones, quas ſolent tali tempore ſuſtinere prægnantes? Prænovit Alma Puerpera ſui partus indicia, & ſpiritu Dei plena, devotione fervida, manibus oculiſque in Cœlum levatis, flexiſque genibus, totam ſe Deo devovens, ipſiùs beneplacitum expectabat.

§. 33. Aderat & Sanctus Joſeph, rerum novitate perterritus, oranſq; & ipſe ſilentio tantæ rei exitum attendebat. Aderat Joſeph ille, qui antequàm præmoneretur ab Angelo, volebat occultè dimittere Virginem. Tunc enim ipſe neſciebat Matth. cap. 1.

My-

Mysterium,quod in Virgine peragebatur; cujus, inquam, miraculi foret mynister. Nesciebat Prophetarum oraculis prænunciatum Christum ex desponsatâ sibi uxore nasciturum. Non noverat Prophetam illum in Moyse præfiguratum ex puellâ innuptâ processurum. Non meminerat potuisse eam effici Dei Templum, quæ ex mundo erat luto formata. Latebat eum virginali rursus Paradiso, intemeratis Domini manibus, Adam psalmari secundum. Non cognoscebat terræ Principem sine semine procreari. Non intelligebat Israeliticam quandoque terram, fructum daturam vivificum: *& terra nostra*, inquit ille, *dabit fructum suum*. Intumuit tunc Mariæ Uterus, & Josephi cor sauciatum est. Inspexit gravidam, & maximâ agitatione pulsatur; attendit onustam prole, & animus perplexitate turbatur. Non fuit autem cognitionis defectus, suspectus concubitus, sed incredulitatis contentio; habet res criminationem, non longanimitatem.

Exod.c.2. Gene.c.2. Ps.l.49.

§. 34. Optatum adeò, tandèm aliquãdò Momentũ labitur:& Joseph in aulà

men-

mentis, divinæ ſapientiæ vacans tantæ rei exitum expectabat. Cum ecce virgineo elapſus utero decorus Infans nudâ terrâ coram eis ejulans palpitabat; ſed infans omnipotens, Infans mirandus, Infans, in quo ſunt omnes Theſauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei; infans tandem parvulus ſed Deus immenſus; Qualis ex purpureæ Auroræ gremio, cum Sol rutilans oritur; Qualis Solis radius, vitrum, abſque læſione, penetrat; Qualis oculorum radius tranquillo, & claro liquori, ſine ſciſſione, & diviſione, immergitur, ut uſque ad fundum univerſa rimetur; Qualis Stella fulgorem; Qualis Irjs ſplendorem; Qualis tandem vernans Roſa,placidum ex ſe mittit odorem; talis decora puella ſuo utero edidit Salvatorem.

§. 35. O' Uterus mirabilis,qui potuit capere Creatorem! O' Venter laudabilis, qui meruit recipere Redemptorem! O' Uterus adorabilis: unde emanavit deſiderium mentium, gratiarum fluvius, & Animarum præmium! O' Venter, non venter, ſed Cœlum Empyreum. In hoc Utero fuit pretium perditorum, felicitas beato-

torum, Deus Angelorum! O' Beatus Uterus! O' Beata Viſcera! O' Beata Ubera! O' Domina noſtra! O' Fons pietatis, Locus Sanctitatis, Flumen bonitatis, Venter tuus ò Regina. O' felix Venter, qui Solem genuiſti, Mundum reparaſti, Patriam recuperaſti. O' quàm pretioſus Venter, qui portavit medicinam infirmis, vitam mortuis, & juſtis Paradiſum. O' Venter eburneus, & Sedes Sapientiæ. O' Venter tornatilis, & celſitudo Gloriæ. O' Venter venerabilis, & dulcedo animæ. O' elevatio mentium, inebriatio cordium, ſuavitas peccatorum, quia in te manſit Beatus Fructus, Jeſus Chriſtus Filius Dei, Salvator noſter, & Dominus noſter.

§. 36. Expergiſcere nunc ò homo: pro te Deus factus eſt homo. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Pro te, inquam, Deus factus eſt homo: in æternum mortuus eſſes, niſi in tempore natus eſſet. Nunquam liberareris à carne peccati: niſi ſuſcepiſſet ſimilitudinem Carnis peccati. Perpetua te miſeria poſſideret: niſi hæc fuiſſet facta miſericordia. Non revixiſſes:

niſi

nisi tuæ morti convenisset. Defecisses: nisi subvenisset. Periisses: nisi venisset.

V I.

§. 37. EGreditur igitùr, ex incorruptâ Virgine, Filius Dei, cum nostrę carnis infirmitate, & cum maximâ novitate, quia nunquàm sic natus est homo, sicut ipse nascitur. Primus enim Homo primò de terra formatur: Secundò Mulier ex ejus latere fabricatur: Tertiò Cain consuetudinario ordine nascendi gignitur ab utroque. Solus iste de solâ Virgine nascitur, & Virginis uterum novo, & singulari partu, Divinitas humanata sigillat. Ubì nùnc Aristotelicæ subtilitates? ubi Philosophantes, prudentesque mundi, qui omnia sibi volunt propriâ disceptatione constare? sed dùm terreno sensu omnia discutiunt, sapientiâ suâ decipiuntur; Ad plenitudinem namquè non perveniunt Veritatis, qui hanc jugitèr desudant habere doctrinam: qua, quod ipsi advertere nequeunt, superbo, tumenteque Spiritu Deum aut non rectè velle, aut

Decuit Christum ex Virgine nasci.

Gen. c. 2. Gen. c. 4.

non posse contendunt, stulti facti sunt. Ne dicant igitùr: *Virgo peperit, ergo de Viro concepit.* Quis enim est ità demens, ut in illo Conceptu Virgineo factum quærat humanum, ubi agitur Cœleste Mysterium? Quantâ verecundiâ in illo nascendi genere generalitas mortalis confunditur, ubì opere Omnipotentis pro vitâ pereuntium partus Salvatoris effloruit? Velint nolint sapientes sæculi: habitus hìc cum privatione conjugitur, nec dialecticis terminis omnium Terminator astringitur: cujus imperio paret Natura, & consuetudo desuescit. Nec aliàs Filiū Dei, nisi ex incorruptâ Virgine, debebat nasci.

§. 38. Homo namquè, per peccatum, sensum amiserat, quo Sapientiâ frui debuisset: & oblitus comedere panem, quo vivunt animæ, in corporalem commutaverat delectationem. Terrenis igitur, sensu & affectu, immersus, sola ea, quæ carnis sunt, sapiebat, & spiritualium jucunditatem non agnoscebat. Ipsa autem Dei Sapientia noluit, ut diximus, amittere hominem, qui propter ipsam factus fuerat: & cum ipsa sursum esset, ille, deorsùm,

sùm, descendit ubi ille erat, ut eum revocaret ad se, unde ille ceciderat. Factum est Verbum caro, & versus est panis in lac, ut posset à parvulis sumi. Sapientia sursùm panis erat, & eadem Sapientia deorsùm lac erat; in Divinitate panis, in Humanitate lac: Sic enim parvuli sensu per lac Humanitatis nutriti sunt, & ad panem Divinitatis roborari sunt: ut idem ipse utrobiquè reficeret, & reficiendo, languidos ad incorruptionem repararet. Dedit ergò reparandis ad incorruptionem alimentum incorruptionis. Parvulis quidèm immaculatam carnem, quam sumpsit de Virgine Matre, perfectis autem incorruptibilem Divinitatem, quam habuit de Æterno Patre. Istis, ut interìm non deficerent in viâ: illis, ut posteà perficerentur in patriâ. Istis ad consolationem, illis ad glorificationem. Io. c. 1.

§. 39. Propter hoc Dei Filius, pro redemptione hominum, homo factus est, ut caro per carnem liberaretur, & generi humano de suo sumeretur pretium redemptionis, quatenùs indè remedium fieret, undè vitium contractum fuerat: & in eo-

dem monſtraretur, & peritia medici, & juſtitia redempti: quandò de ſuo, & remedium invenitur ſanando, & pretium redimendo. Quia verò à corruptione liberandum erat, idcircò pretium redemptionis incorruptum eſſe debuerat. Propterea Mater Virgo electa eſt, & de Virgine natus eſt, & Virgo ſempèr relicta eſt, ut de mundâ immaculatus naſceretur: ut ſicùt in Cœlo Deus habuit Patrem immortalem æternus, ſic in terrâ haberet Matrem Virginem incorruptus. Igitùr in Cœlo qualis Pater, talis Filius: & in terrâ, qualis Mater, talis Filius. In Cœlo cum Patre æternus, & immenſus: in terrâ cum Matre immaculatus, & manſuetus. In Cœlo cum Patre incorruptus, & ſublimis: in terrâ cum Matre Virgine, Virgo, & humilis. In Cœlo imago Patris, in terrâ imitator Matris. Mater Virgo erat, & in humilitate exultabat, Filius Virginis Virgo, humilitatem commendabat. Talis ergò Mater Agni, qualis agnus, & talis Agnus, qualis Mater Agni; Mater Virgo, & Filius Virgo, ex mundo munda, ex mundâ mundus, ex virgine, incorrupta;

pta; ex Virgine, incorruptus. Per Virginem veniens ad nos, per virginitatem præcedens nos. Per incorruptionem veniens, ut peccatum tolleret, per Virginitatem præcedens, ut virtutem demonstraret; veniens, ut conferret remedium, præcedens, ut daret exemplum.

§. 40. Ex Virgine ergò decebat, ut Filius Dei nasceretur, quoniàm init Deitas cum amicâ sibi sempèr integritate consortium; & Deus summè mirabilis, mirabilitèr nasci debebat, & qui homo suprà hominem nascebatur, debebat, suprà hominem nasci: ipsique nativitati suæ humanæ, qua se esse hominem testabatur, aliqua inserere documenta, quibus se etiàm suprà homines esse contestaretur. Et quemadmòdum de terrâ Virgine factus est Adam, ità de Mariâ Virgine natus est Christus. Illius maternum solum, necdùm scissum fuerat, istius maternum secretum, nunquàm concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur è limo: Christus Dei spiritu formatur in utero. Uterque ergò oritur cum Patre, uterque Virgine utitur matre; uterque, Gen. c. 2.

 sicut

Luc. c.3. ficùt Euangelifta dicit, Filius Dei eft, fed Adam creatura eft, Chriftus verò Deus & homo eft.

§. 41. Decebat, ut Creator ex incorruptâ creaturâ nafceretur; nequè enim decebat, ut integritatem Virginitatis, humanæ carni creator Dominus in conditione tribueret, & idem carnis humanæ fufceptor Dominus, quod fecerat, redempturus, virginitatem carni, de qua nafcebatur, auferret. Ipfe namque, qui venerat, Verbum erat, & Verbum eft incorruptibilis Veritas, ergò nec debebat violare incorruptam, nec poterat nisì de mundâ non nafci; præfertìm cum ftatuiffet, dejecta erigere, confracta folidare, & fuperandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ donare virtutem; ut virginitas, quæ in aliis non poterat falva effe generando, fieret in aliis imitabilis confitendo, & renafcendo.

§. 42. Decebat, ut Chriftus ex Virgine nafceretur, quoniàm Divinitas Virgo eft, & Filius Dei Virgineus eft Genitoris partus; ipfa namque Deitas incorruptio eft, integritas eft, munditïes eft. Ergo

utcum-

utcumquè naſcatur Deus, ſivè in Spiritu ab æterno, ſivè in carne ex tempore, Deus naſcitur, incorruptio naſcitur, integritas naſcitur, virginitas naſcitur, & perfectè naſcitur, & incorruptè, & Virginalitèr naſcitur. Et ipſa in Deitate Virginitas, ipſa eſt Unitas Dei, & Unitas Deus, Unitas fons omnium; Unitas ſumma, eademque ſumma fœcunditas; ac proindè Virginalis fœcunditas, & fœcunda Virginitas eſt ipſa Unitas. Verbum igitùr Paternæ Virginitatis Filius eſt, quia Unitatis ipſius partus eſt. Cumque Patri ſimillimus, conſubſtantialiſque ſit, immò Patris ſimilitudo naſcatur, Unitas & ipſe eſt; ingeniique, & naturæ ſuæ tenaciſſimus, quocunque modo naſcatur etiam in carne, non poteſt niſi ab Unitate naſci; idèſt à virginitate. Unitas ergo primigenia, ab ingenitæ Unitatis virginitate ab æterno genita, & indeſinentèr naſcens, à ſeipsâ ne deficeret, non potuit vel in carne naſci, nisì de Unitate Virginitatis.

§. 43. Decebat tandèm, ut Beata Virgo Maria ſinè Virginitatis detrimento, & ſinè ullâ moleſtiâ doloris, noſtrum ede-

ret Salvatorem, quià Ipsa sine Viro concèpit. Meritò in partu cæterarum fœminarum integritas corrumpitur, quoniàm fuit in conceptu polluta Virginitas; justumque est, ut non pariatur sinè dolore, quod non est conceptum sinè libidine. Nequaquàm partus dolorem afferret, si conceptus non sensisset libidinem, quia si culpa delectationis concipientem non pollueret, numquàm pœna doloris parientem cruciaret. Prima namquè illa nostri generis, & doloris Mater, postquàm malam delectationem conceperat; tùnc demùm quia filios in dolore paritura esset, audiebat: ut apertè demonstraretur, quod non idcircò pariat cum dolore, quia concepit à Viro, sed quia cum libidine concepit. Quis enim potest dicere, si homo non peccasset, utrùm Partus humanus, etiàm de Viro conceptus, aut integritatem corrumperet, aut castitem violaret? Et quidèm si non violaretur castitas, quarè integritas corrumperetur? Dicat qui valet. Beata autem Virgo Maria, ut suprà primam conditionem, esset secunda restauratio, & naturam generis gratia vinceret

Debebat B. Virgo parere sine dolore.

Gen. c. 3.

ceret

ceret Salvatoris, non solùm sine libidine concepit, sed nequè de Viro partum accepit: & ob hoc sine dolore Filium edidit, & cum integritatis decore post partum Virgo permansit.

§. 44. Noli ergò tu, impie Manichæe, Matrem despicere Redemptoris, noli immundam, ut sunt mulieres cœteræ, vocare Mariam. Ipse fecit Matrem, de qua nasceretur, ipse eam sine labe formavit, ne remaneret sua maculata Majestas. Sed undè sordes in Virgine, ò stulte, ubi non est concubitus cum homine patre? Undè sordes in eâ, quæ nec concipiendo libidinem, nec passa est pariendo dolorem? Undè sordes in domo, ad quam nullus habitator accesserit? Solus ad eam fabricator ejus, & Dominus venit, vestem, quam non habebat, induit, & domum, sicut invenit, clausam reliquit. Error Manichæorum.

§. 45. O'Beata Maria, sola inter mulieres benedicta, sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. Nec mirùm si dolorem non intulit Matri, qui tulit totius Mundi dolores. Duo sunt, quæ humana fragilitas timet, Pudor, & Isa. c. 53.

Do-

Dolor; utrumque Christus tollere venit, undè & utrumque suscepit:quandò,ut cætera sileam,est ab iniquis turpissimâ morte damnatus. Itaquè ut fiduciam nobis daret, quod tolleret hæc à nobis, priùs Matrem suam immunem ab utroque servavit:ut nec in conceptu quicquàm pudoris, nec in partu quicquàm doloris existeret, & inviolata etiàm post partum permaneret: habens fœcunditatem prolis, cum integritate carnis, & gaudium Matris cum Virginitatis honore. Jàm securus expecto, *ò Dilecte*, promissam mihi gloriam incorruptionis in carne meâ, quandò est per eum servata incorruptio in Matre suâ. Facile erit ei, per quem Mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo, ut & corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo.

V I I.

§. 46. SEd quid mirùm si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur? Nequaquàm decebat, ut ille, qui nobis afferebat salutem,

tem,

tem, Matris præriperet integritatem. O magnum Sacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit:poſt conceptum Virgo peperit: poſt partum Virgo permanſit: peperitque non dolore, ſed gaudio. O' beata Virginitas jàm deſinis eſſe mortis ancilla, quia illum tu geſtas in mente, quem Maria portavit in utero, quæ priùs etiàm mente concepit, quàm corpore, cum priùs Fides fuerit in mente ejus, & poſteà Chriſtus in ventre ejus. Nulli tu ampliùs ſervituti ſuccumbis, quià illum diligis, qui humano generi attulit libertatem;Quemque corporalitèr Sancta Virginitas peperit, cui ſpiritualitèr Sancta Virginitas nubit: à quo Sancta Virginitas fœcundatur, ut perſeveret intacta: à quo decoratur, ut permaneat venuſta, à quo coronatur, ut regnet perennitèr glorioſa. *Laudes Virginitatis.*

§. 47. Exultate nùnc Virgines Chriſti, quià eſt conſors veſtra Mater Chriſti. Chriſtum parere non potuiſtis, ſed proptèr Chriſtum parere noluiſtis. Qui non ex vobis natus eſt, ſed vobis natus eſt. Verumtamèn ſi Verbi ejus memineritis, ſicùt meminiſſe debetis, eſtis etiàm Ma- *Laudes Caſtitatis.*

tres ejus, quià voluntatem facitis Patris ejus. Ipse enìm dixit: *quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est.* Melior est Virginitas vestra mentis & corporis, quàm ista Ecclesiæ Sanctæ charismata. Quàmvis enìm sit Prophetia secundùm rationem Fidei, sivè ministerium in ministrando, sivè qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine: hæc dona diversa propriis inveniuntur appellari nominibus: integritas autèm carnis, in cordis virginitate, Deo juvante, & protegente, servata; idcircò propriè Virginitas dicitur, ut ibì perfectio veræ virtutis inesse monstretur. Virginis nàmque, si quis velit diligentèr considerare vocabulum, ex Virtutis inveniet nomine derivari; Virgo enìm dicitur quasi *Virago*. Viraginem verò Scriptura Sancta, non ob aliud vocatam dicit, nisi quià *de Viro sumpta est*, Adam scilicèt, qui & virtus etiam interpretatur. Melior est igitùr cæteris actualibus donis intemerata Sanctitas Virginalis, quæ divini gratiâ mu-

Matth. cap 12.

Gen. c.2.

muneris, ex virtute videtur originem vocabuli trahere, ut ex ipſo nomine ſempèr ſe admoneri cognoſcat, ea, quæ virtutis ſunt, debere ſectari.

§. 48. Exultate vos etiam Viduæ Chriſti, quià, qui fęcundam fecit Virgiginitatem, illi voviſtis continentiæ caſtitatem. Exulta etiàm caſtitas nuptialis, omnes fidelitèr viventes cum conjugibus veſtris, & quod amiſiſtis in corpore, ſervate in corde. Ubì jàm non poteſt eſſe à concubitu carò integra, ſit in Fide conſcientia Virgo, ſecundùm quam Virgo eſt omnis Eccleſia. In Maria Chriſtum pia Virginitas peperit: in Anna Chriſtum parvum Viduitas grandæva cognovit: in Heliſabeth Chriſto conjugalis caſtitas, & anilis fæcunditas militavit. Omnes gradus fidelium membrorum Chriſto capiti contulerunt, quod ipſius gratiæ conferre potuerunt. Proindè, quià veritas, & pax, & juſtitia Chriſtus eſt, hunc fide concipite, operibus edite, ut quod egit Uterus Mariæ in carne Chriſti, agat cor veſtrum in Lege Chriſti. Quomodò autèm non ad partum Virginis pertinetis, quandò Chri-

Chriſti membra eſtis?Caput veſtrum Maria peperit, & vos Eccleſia generavit. Nàm ipſa quoquè & Mater, & Virgo eſt: Mater viſceribus Charitatis, Virgo Fidei integritate. Pietatis Populos peperit,ſed ejus membra ſunt, cujus ipſa eſt corpus, & conjux: etiàm in hoc ſæculo ſimilitudinem gerens illius Virginis, quià & in multis Mater eſt Unitatis.

Quis ſit Puer qui natus eſt.

§. 49. Peperit igitùr Virgo Maria Redemptorem noſtrum: & hæc Nativitas mira eſt, quia talem genuit, talis genuit. Ideò Virgo Mater eſt, quia Verbum caro factum eſt. Et ſi hæc, quæ genuit, talis eſt, ille, quem genuit, qualis eſt? Vis noſſe qualis eſt, qui ſic natus eſt? Audi, qui eſt, & quantus eſt. Verbum Patris eſt, Artifex mundi eſt: per ipſum enim, tanquàm per Ideam, & Sapientiam Patris, omnia eſſe creata docet Joannes. *Jo: c. 1.* Lumen Cœli eſt, Pax terræ eſt, Integritas Virginis eſt, fæcunditas Matris eſt, Angelorum laus eſt, Hominum ſalus eſt, deſertorum vita eſt, errantium via eſt, vulneratorum medicina eſt, Bonorum jucunditas eſt, Martirum victoria eſt, & palma la-

lactentium est. Adhùc ampliùs audi,quis est,quis sic natus est. Est, per quem Deus fecit & sæcula, est Mortis extinctor, Diaboli domitor, Petra fundamenti, Lapis angularis, Mons Dei, Scala Cœli, Janua Paradisi, Civitas Regis magni, Agnus & Pascha, Sponsus & Sponsa, Resurrectio & Vita: quoniàm per ipsum, & ex ipso, & in ipso sunt omnia. Hæc & quæcumque alia dixerimus de eo,parva sunt. Ipse namquè est Deus verus de Deo vero;Omnipotens, Æternus, Incomprehensibilis, Immensus,qui semper vivit, & in se nihil moritur; Immortalis est enim habitans æternitatem:Mirabilis oculis Angelorum, Inenarrabilis, Inperscrutabilis, Innominabilis, semper Vivens, semper Verus, Terribilis, Misericors, Fortis, Nesciens principium, neque finem,Principium omnium, atque Finis. Supra quem nihil,extrà quem nihil, sine quo nihil, infrà quem nihil. Sub quo totum, cum quo totum, in quo totum. A' quo omnia, per quem omnia, in quem omnia. Quidquid est ab ipso est, quia sine ipso nihil est. Ipse est Fons Vitæ, à quo fluit omnis vita: quid-

quid

quid enìm vivit, per ipſum vivit, quià ſine ipſo nihìl vivit. Sed hæc & parva ſunt; non enìm ſufficit lingua narrare, quem mens pavida, & infirma non valet comprehendere.

§. 50. Hunc tam excelſum Puerum, Unigenitum Dei Filium, proptèr noſtram ſalutem hominem factum, Maria videt oculis, amplectitur manibus: Lac miniſtrat, figitque oſcula Verbo, quia juſtitia, & pax oſculatæ ſunt: & quem oculis carnis intuetur Filium, mente conſpicit Deum. Suſcepiſſe ſe gaudet perpetuam poſteritatem, non amiſsâ integritate. Vitam fert in gremio, Veritatem portat in corde; quoniàm Veritas de terra orta eſt, & Juſtitia de Cœlo proſpexit. Maria de Homine Patre, Terra: Chriſtus ex Maria ſine homine Patre, de Cœlo Veritas.

§. 51. Alludit interìm Infans Matri, arridet Virgini, & oculos ad Deiparam blandientes intorquet.

Incipe blande Puer riſu cognoſcere Matrem.

Puer tacitè Matri dicebat: ego Filius, & tu

tu Mater, ego Creator tuus, & tu Genetrix mea; Illa respondebat: & tu Creator meus,& Sponsus meus,& Filius meus; Ipse dicebat: ecce tu Pulchra es Amica mea, & macula non est in te; Illa respondebat: ecce tu Pulcher es Dilecte mi, & decorus; Ipse: Ego Deus, & tu Deipara, Ego Rex & tu Regina; Illa: ego Ancilla humilis,& tu Deus Excelsus;Ipse:Tu Mater, & Virgo, & Sponsa; Illa: Tu Virgo, tu Sponsus candidus, & rubicundus electus ex millibus:Tu Verbum Æternum, per quod facta sunt omnia, & restaurata sunt universa: & si veneraris in me, quod Mater, & Virgo sim, ego veneror in te, quod Deus & Homo sis.

Ergò ego te gremio reptantem, & nota petentem
Vbera care puer, molli studiosa fovebo
Amplexu? Tu blanda tuæ dabis oscula Matri
Arridens, colloque manum & puerilia nectes
Brachia, & optatam capies per Membra quietem?

Sic memorat, fruiturque Deo, comitumque micanti
Agmine, divinisque animum concentibus explet.

VIII.

Nativitas Christi ad mirabilis B. Virgini.

§. 52. ITa invicèm Mater, & Filius alludebant sibi. Et Parvulus sugens ubera purâ alimoniâ utebatur, & fons sacri pectoris defecatum eduliũ ori mundissimo infundebat. Sed & cor Matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant, eratque utrinque mira jucunditas: quùm pia Sãctę Matris, & devota humilitas, & Sancti-Sanctorum immensa benignitas confęderatis affectibus mergerentur. Sed interim stat perterrita tantis miraculis Regina Cęlorum: Confert in corde suo salutationem Angelicam; Conceptionem Dei, Nativitatem Pueri: & miratur, quod ille, qui ad nos venire sic potuit, subvenire sic voluit.

Quomodò enim non erat mirandum, videre Cœlicolam in terrenis, & terram pace conciliari cœlestibus: & ineffabilem

illum

illum Infantulum Numine quidèm Cœlestia, Humanitate verò adinvicèm terrestria connectentem, & sui compagine mirandum fędus præstantem ?

Miratur ergo Maria, quòd in tam præclara die, mutatâ vice, factus sit Deus ad imaginem, & similitudinem nostram, quando sub ipso Principio nascentis Mundi, in primo homine, fecerit nos Deus ad imaginem, & similitudinem suam; & in hoc tam ineffabili Sacramento de suis meliora contulerit: in altero vero de nostris inferiora susceperit.

Miratur, quod nobis quodammodò, per Christi Divinitatem, species illius antiqui, & incipientis sæculi, innovatur, cum primus Adam de limi materiâ figuratur, quando etiam nunc, secundus Adam, quasi de intactâ, ac rudi terrâ, Virginis de carne, formatur.

Miratur, quod Deus factus sit Homo, ut homo fieret Deus, & ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus sit homo.

Miratur, quod talem ille fecisset illam, se scilicet Ancillam humilem, qui

eſt factus ex illâ;quique ante quam fieret, erat,& quia Omnipotens erat,fieri potuit manens, quod erat; & quod ſibi Matrem fecerit, cum eſſet apud Patrem, & cum fieret ex Matre,manſerit tamen in Patre.

Miratur, quod ipſa de Spiritu Sancto conceperit, nec tamen Spiritus Sanctus ſit Pater Chriſti dicendus: cum ipſa non de Spiritus Sancti ſubſtantiâ ſemen partus acceperit,ſed quia per amorem, & operationem, Spiritus Sancti ex carne Virginis Divino partui natura ſubſtantiam miniſtravit; & quia in corde amor Spiritus Sancti ſingulariter ardebat, ideò in carne ejus virtus Spiritus Sancti mirabilia faciebat: & quia ejus dilectio in corde illius non ſuſcepit ſocium, ejus operatio in carne illius non habuit exemplum.

Miratur, quod Verbum caro factum fuerit, nec Verbum in carnem, pereundo, ceſſerit, ſed caro Verbo, ne ipſa periret, acceſſerit: ut quemadmodum homo eſt anima & caro, ſic eſſet Chriſtus Deus & Homo: idem Deus, qui Homo, & qui Deus idem Homo, non confuſione naturæ, ſed unitate perſonæ.

Mi-

Miratur, quomodò Filius Dei generanti coęternus semper ex Patre, idem Filius Hominis esse ex Virgine cæperit: & licet Filii Divinitati sit quodammodò addita Humanitas, tamen permanserit Trinitas, & personarum non sit facta quaternitas.

Miratur, quomodò natus sit Christus Deus de Patre, Homo de Matre; de Patris Immortalitate, de Matris Virginitate: de Patre sine Matre, de Matre sine Patre, de Patre sine tempore, de Matre sine semine; de Patre principium vitæ, de Matre finis mortis; de Patre ordinans omnem diem, de Matre consecrans nativitatis diem.

Miratur, quomodò in tantâ Nativitate, tantoque beneficio, quo affecit Deus genus humanum, cernuntur omnia, quę possunt dicendo percurri: *Bonitas* scilicet Dei, *Sapientia*, *Justitia*, & *Potentia*; nam Deus, ut bonus desertorem amavit; ut sapiens rationem invenit, qua servitute oppressum in libertatem vindicaret; ut justus, in servitute continentem, & emptionis jure possidentem, non coegit, sed

seipsum pro illo, qui victus erat, tradidit; & tanquam vas, ac Sponsor, debitum ipse persolvit, ut eum, qui vinculis tenebatur, liberaret; & sic homine victo, non ab alio, quàm ab homine fecit vinci Tyrannum; Tandem ut potens, cum nil majus possit excogitari, quàm Deum hominem fieri.

Miratur, quomodò Christus propter hominem pauper factus sit, cum esset dives, ut homo illius paupertate ditaretur: cum enim mortalitatem assumeret, mortemque consumeret, in paupertate se ostendit, sed divitias promisit dilatas, non amisit ablatas; & quomodo propter hominem venerit, cum esset Omnipotens, quietus, & pacificus, non movendo Cęlum, concutiendo Terram, emittendo fulmina, ut ostenderet, quod veniebat salvare, non perdere.

Miratur, quomodò nascente Domino, non sit ablata, sed consecrata Virginitas, quæ ipsa Sponsum genuit sui pudoris, ipsa custodi præbet fidele servitium. Fęta, sed Virgo; Virgo, sed Mater: sterilitate enim caruit, non puritate.

Mi-

Miratur, quomodò sibi tam singulariter astiterit Sanctitas, sinceritas, pudicitia, castitas, integritas, fides, omnesque simul virtutes, ut intrepida famula suo utero portaret auctorem, & Cœlestem paritura virtutem, sexus sui victrix, dolorem, gemitumque nesciret.

Miratur, quomodò fortis vinculis stringi se sinat, ut scissam humani generis unitatem, suo redintegraret in corpore, totumque immortalitatis vestimentum, purpureo sanguinis colore fulgens, in Cœlestia Regna deferret.

Miratur, quomodò ut peregrinus nascatur, qui totius Orbis est Dominus, ut homines Cœlestis Patriæ faceret esse municipes; Et quomodo propter hominem fieret in tempore, per quem facta sunt tempora: & homo fieret, qui hominem fecerat: nasceretur ex Matre, quam creavit; portaretur manibus, quas formavit: sugeret ubera, quæ implevit; in præsepio muta vagiret infantia, *Verbum*, sine quo muta est humana eloquentia.

Miratur, quomodò ille, qui fuerat ante tot sæcula, per Isaiã prædictus, & vo-

Isai. 9. catus *Emanuel*: *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus*, *Fortis*, *Pater futuri sæculi*, *Princeps pacis*, sit, qui in præsepio jacet, pauper, & humilis, vilis & gemens; & ista versans in mente,taliter ratiocinabatur;Si necdum loquitur, quomodo Consiliarius est? si est Parvulus, quomodo Omnipotens Deus? si infirmus, quia meâ carne velatus, in quo videbitur fortis? si nihil possidet, quomodò ad apicem Regni, & Principatus fastigium ascendet? sed quoniam Fidei mysteria Deipara optimè persequebatur, in his omnibus subtilissimas, & purissimas invenit rationes, quod omninò, ex decreto Divino, necesse fuit,immensum fieri parvulum, & Unigenitum Dei Filium, Filium hominis evidentèr agnosci. In eo quod contemptibilis factus est, admirabilis factus est, quia terrena Cœlestibus, humana divinis conjuxit; & si universo humano generi tradidit Euangelium, optimus divinarum, humanarumque rerum Consiliarius fuit; & si Divinitatem,& Humanitatem in unâ Personâ Divinâ conjunxit, Fortis, & Deus est: & ubi infirmitas est, fortitudo est, nam

nam hac infirmitate Diabolum ſuperavit; & ſi Corpus humilitatis noſtræ configuratum Corpori Claritatis ſuæ, non in hoc, ſed in futuro ſæculo, pace ſempiternâ, fruetur, quomodò non Pater futuri ſæculi, & Princeps Pacis?

Miratur tandem, quomodò unus, idemque, ſine Matre natus eſt Deus, & ſine Patre factus eſt Homo, & in utrâque generatione incomprehenſæ Divinitatis ſit Virtus; & ibi illum ex ſemetipſo genuit Deus, hìc eum ipſa, Deo cooperante, concepit; ibi ſine initio, hìc ſine exemplo; ibi natus, ut conderet bonum, hìc factus, ut tolleret malum; Ibi Patri natus, hìc hominibus datus; Illâ nativitate hominem fecit, hac generatione hominem liberavit; Illa ante hominem, iſta ſupra hominem; illa incogitabilis, iſta mirabilis; & licet duæ ſint Chriſti Nativitates, duplex tamen non eſt filius natus, ſed gemina, in unico Dei Filio, confirmatur eſſe ſubſtantia; ibi quod erat natus eſt, hìc quod non erat factus eſt: nam *in Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &* Io. c. 1. *Deus erat Verbũ*: & *Verbũ caro factum eſt.*

O'

Nativitas Christi ad. mirabilis Hominibus.

§. 53. O' Domine, quàm admirabile est nomen tuum, verè tu es Deus, qui facis mirabilia, & ego nunc cum universo humano genere non modo mundi hujus staturam admiror, non terræ stabilitatem, cum eam complectatur volubile Firmamentum; non singulos dies, non lunæ defectum & incrementum, non solem semper integrum, & laborem ejus perpetuum; non temporum vicissitudines, in quibus quædam arescunt, quædam virent, & quæ mortua modo videntur, deinceps reviviscunt; sed miror cùm Virgine nostrâ, Deum in ejus utero, miror Omnipotentem in cunabulis, miror, quomodo Dei Verbo adhæserit caro, miror quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit; miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processus ad obedientiam Salvatoris. In brevi poterat patrari negotium, & ad solum Christi Verbum tantus labor poterat abbreviari; sicut factus mundus, sicut disposita cuncta ad ejus Imperium; in cæteris quocunque modo aliquæ satisfaciunt rationes, hìc solus me complecti-

tur

tur ſtupor;& cum Abacuc cano: *Conſidera vi opera tua, & expavi.* Miror jejunium, miror tentationes, miror Omnipotentem in ſepulchro jacentem, miror occiſum, & reſurgentem; ſed magis miror, quod prędixerat Hieremias: *novum faciet Dominus ſuper terram: Mulier circumdabit Virum.* Hoc novum eſt, hoc peregrinum eſt, hoc magis admirabile eſt; Æternus Dei Filius initium carnis ſumpſit ex Virgine, quem Cœli capere non poterant, claudit Uterus; qui implet omnia, cum ſit in omnibus, ab his tamen non capitur, nec tenetur; à carne fragili, in Materni Uteri anguſtia, mutato rerum ordine, curſuque Naturæ, circumdatur: jacet in præſepio, pannis involuitur, gemit, algeſcit: hoc novum eſt, hoc inauditum eſt, hoc peregrinum eſt, & hoc ſuper omnia opera Dei admirabilius eſt.

Hab. c. 3.

Hiere. cap. 31.

§. 54. Et adeò novum, inauditum, & peregrinum fuit, ut in admirationem etiàm traxerit ipſum Dœmonem. Namquè cum videret Dei filium, tanta per miracula procreatum, volvebat ſecum, ut arbitror, atquè admirans dicebat. Quis eſt

Nativitas Chriſti admirabilis Dœmoni.

est iste, qui hunc est, me nesciente, mundum ingressus? Novi quidèm, quia de fœmina natus est, sed nescio, undè conceptus. Adest ecce Mater, sed Patrem investigare non valeo. Partum video, sed non agnosco nascentem. Et quod stupori meo accessit, inconsuetâ lege pariendi, & edito Filio, Mater exultat ut Virgo. En jacet in Cunabulis Parvulus, infundit lachrymis vultum, similemque esse mortalium vagitus prodit: & cum nihil ei de infantiâ desit, nulla tamen est illi velùt infantiæ corruptio. Pannis obsitus sordet, & Cœlum illi radio stellæ lœtioris arridet: atquè in honorem ipsius ministrantes ei Angeli, inter sydera, terrasque concurrunt exultantes, & annuntiant, quam non intelligo novitatem. Quid hoc miraculi? Video, quod advertere nequeo, audio, quod sustinere non possum, ut homo natus, honoretur ut Deus. A sæculis nunquàm hoc mihi contigit, ut quisquam unquam nasceretur homo, qui humani vitii nihil haberet. Quæ hæc tàm nova, potensquè generatio est? Inter peccatores, & impios natus, mortali de

de Matre progressus, purgatior cunctis nascentibus, & ipso mihi Coelo purior apparet. Et quid plura? Nihil in eo reperio, quod me delectet, omnes meos conatus evacuat. Quid agam? Quò me convertam? Eum fortiorem me sentio esse: puto illum regno meo velle regnare. Ne fortè Deus sit iste, quem nullum potest maculare delictum? Sed si Deus esset, quomodo indignitatem partus foeminei sustineret? Quomodo esset cunis, pannisque contentus? Quis credere possit infantiæ vagitus in Deo? Cui audienti credibile est Deum foemineo lacte nutriri?

§. 55. Hæc & similia Dæmon admirans mente versabat, ignorans nimirùm, quia quod Christus rudimenta præferebat, quodque esuriebat ut homo, non tamen erat corporea fragilitas, sed cœlestis gratiæ Sacramentum. Dei enim Filius, cujus cum sempiterno Patre intemporalis constat æternitas, qui cum suo genitore naturaliter impassibilis incorrupto regnat imperio, egit in carne nostrâ salutare mysterium: & ob hoc communionem mortalium subiit passionum, ut de inimico generis

neris humani, hominis certamine triumpharet.

I X.

§. 56. ET revera admirabilis fuit Universo Orbi ista Nativitas, qnoniam in ea Dei sapientia attigit à fine usque ad finem fortitèr, ut disponeret cuncta suavitèr. Proposuit namque simul uno, eodemque spectaculo suam Majestatem, & suam Humilitatem: cum nascatur ex Muliere, sed ex Virgine: jaceat in præsepio, & fulgeat in Cœlo: societur brutis, & adoretur ab Angelis: pannis involvatur, & adoretur à Regibus, (ut in sequenti Oratione dicemus:) obmutescat in gremio, & Cœlo radiante prodatur: abscondatur in stabulo, & Cœlestibus hymnis ejus natalitia celebrentur. Quanta Majestas, quanta Humilitas. Facta sunt hæc, *ò Dilecte*, ut in unâ, eâdemque personâ duplicem naturam, divinam, & humanam ex gestis nequeas ignorare. Homo namque est, qui ex muliere nascitur, sed Deus est, qui ab Angelis adoratur:

plurima testimonia de Deo Redemptore.

Extat in d. citatione.

tur: homo eſt, qui pannis veſtitur, ſed Deus eſt, qui è Cœlo gentibus prædicatur: homo eſt, qui vagit in puellæ gremio, ſed Deus eſt, qui ſummâ devotione à Regibus colitur: homo eſt, qui propter famem lactatur à Matre, ſed Deus eſt, qui propter hominem gignitur ſine patre.

§. 57. O' prodigia, ò miracula! Ab ipſis igitur incunabulis ſtatìm congruenti teſtimonio fides noſtra fulcitur, ut ſequentibus ſignis initia quoque ipſa reſpondeant, & Fidelis habeat, unde in fide glorietur, & Infidelis unde de ſua pertinacia non excuſetur. Congruenti ergo teſtimonio fides noſtra fulcitur, immò congruentibus, innumeris, & irrefragabilibus teſtimoniis noſtra veritas ſtabilitur, unde immobile, & immutabile remanet Chriſti myſterium. Namque pręter ea, quæ adducta ſunt, habuit teſtimonium hominum, quia *Paſtores erant in Regione eadem vigilantes*, qui venerunt feſtinantes: & invenerunt Infantem poſitum in præſepio. Habuit teſtimonium Angelorum: quia *Angelus Domini ſtetit juxta illos*, & dixit illis: *Ecce euangelizo vobis gaudium ma-* *Luca c. 2.* *Ibid.*

magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelsis Deo, & in Terrâ Pax hominibus bonæ voluntatis. Habuit testi-
Ibid. monium mulierum: quia Anna Prophetissa filia Phanuel confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expe-
Act. c. 2. & 4. ctabant redemptionem Israel. Habuit testimonium Virorum, quia die uno conversi sunt tria millia, & alio quinque millia, qui testimonium perhibebant de Jesu. Habuit & Testimonium Senum: quia antiquus ille dierum Simeon, qui responsum acceperat à Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini, accipiens eum in ulnas suas, dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei, salutare tuum.* Habuit te-
Matth. cap. 2. stimonium Parvulorum: quia Innocentes illi, eum quamvis non loquendo, tamen confessi sunt moriendo. Habuit testimonium terrenorum: quia Pax facta est in terra hominibus bonæ voluntatis; tanta,

ut

ut ab uno homine Cœsare Augusto totus Orbis describeretur: de cujus celeberrimâ tranquillitate, Isaias ait: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*. Habuit testimonium Cœlorum: quia novam Cœli dedere Stellam: Hinc scriptum est: *Et ecce Stella, quam viderant* Magi *in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret suprà, ubi erat Puer*. Habuit testimonium Gentilium: quia Magi venientes Hierosolymam, dixerunt: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Habuit testimonium Judæorum: quia Herodes, Principes Sacerdotum, & Scribas Populi conveniens, *sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur; at illi dixerunt: In Bethlehem Judæ*. Habuit testimonium Antiquorum: quia ipse est *Agnus occisus ab origine mundi*. Habuit testimonium Prophetarum: quæ à nobis superiùs relata sunt, & hìc addimus aliud Isaiæ dicentis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel*. Habuit testimonium Legis: quia dixit Moyses: *Prophetam de Gente tuâ, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit*

Isa. c. 2. *Matth. cap. 2.* *Ibid.* *Ibid.* *Apocal. cap. 5.* *Isa. c. 7.* *Deuter. cap. 18.*

bit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies. Habuit testimonium Modernorum : unde
Act.c.1. & ipse Christus discipulis inquit : *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judææ, & Samariæ, & usque ad ultimum terræ*. Habuit testimonium lucis, & testimonium tenebrarum : quia claritas Dei
Luc.c.2. Pastores circumfulsit, & Magos Stellæ
Mat.c.2. claritas illustravit ; & in ejus morte tene-
Luc.c.23. bræ factæ sunt super universam terram, usquè ad horam nonam. Habuit testimo-
Psal. 84. & 45. nium Regum : quia David ait : *Terra no-*
Cant.c.4. *stra dabit fructum suum* ; & alibì ; *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem* ; &
Cant.c.1. Salomon dicit : *Osculetur me osculo oris sui* : quæ verba Sponsæ per Salomonem prolata Incarnationem præseferunt Unigeniti Filii Dei; Sponsa namquè in Spiritu senserat, quanta foret gratia diffusa in labiis illius, cupiebat tantæ suavitatis dulcedine non fraudari; unde dicebat; ipse, quem Prophetæ eloquuntur, ipse loquatur, & me sui oris osculo deosculetur : cujus gratiosa præsentia, & admirandæ fluenta Doctrinæ fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam. Non peto

An-

Angelum, non peto hominem, ſed Deum peto. Sit os oſculans Verbum aſſumens, oſculatum caro, quæ aſſumitur: oſculum verò, quod paritèr ab oſculante, & oſculato conficitur, perſona ipſa ex utroque compacta; Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Patet ergo hoc Sanctum oſculum eſſe non aliud, quàm Chriſtum, qui venit, ut infirmis faceret fidem: & deſiderio ſatisfaceret perfectorum.

§. 54. Et quid diſcurram per ſingula? Nihil extitit, quod teſtimonium Chriſto non perhiberet. Et Turbæ dixerunt: *Vidimus mirabilia hodie. Niſi eſſet hìc à Deo non poſſet facere, quod facit*: propter quod eum & Regem facere voluerunt. *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt*, & *apparuerunt multis*. Et *Bos cognovit poſſeſſorem ſuum*, & *Aſinus præſepe Domini ſui*. Sol in ejus morte obſcuratus eſt. Terra contremuit, terræmotus factus eſt magnus. Aqua Chriſtum ambulantem pedibus ſiccis ſuſtinuit. Aer in nube ſuſcepit eum àb oculis Diſcipulorum. Et tandem ignis teſtimonium perhibuit, quando Angelus Domini poſt

Luc. c.5. *Matth. c.27.* *Iſa. c.1.* *Luc.c.23.* *Matth. c. 27. & cap 7.* *Act. c.1.*

 Chri-

Matth. cap. 28. Christi mirabilem resurrexionem de Cœlo descendit, & sedebat supèr lapidem, & erat aspectus ejus sicut fulgur, quod igneæ Naturæ est.

§. 55. Quia ergo mysterium Christi immutabile, habuit testimonium Hominum, testimonium Angelorum, testimonium Mulierum, testimonium Virorum, testimonium Senum, testimonium Parvulorum, testimonium Terrenorum, testimonium Cœlorum, testimonium Gentilium, testimonium Judæorum, testimonium Antiquorum, testimonium Modernorum, testimonium Lucis, testimonium Tenebrarum, testimonium Legis, testimonium Prophetarum, testimonium Regum, testimonium Turbarum, testimonium Vivorum, testimonium Mortuorum, testimonium Brutorum, testimonium Solis, & testimonium Elementorum, erubescat Judæus infelix, qui negat Christum de Virgine natum; Confundatur Gentilis, qui dicit ligno: *Deus meus es, & lapidi: tu me genuisti*; obmutescat Hæreticus, qui tanto mysterio contradicit, & omnis lingua confiteatur, quod Unigeni- Hier. c. 2.

tus

tus Dei Filius propter nostram salutem de Cœlo descendit, & Homo factus est; Et nos interìm discamus concipere, & parere veritatem.

§. 56. Quod namquè fecit corporalitèr Christus, tu Fidelis spiritualitèr imitare. *Etsi Christum secundùm carnem cognovimus, sed nunc jam non novimus.* 2.Cor.5. In exemplo secundùm carnem cognovimus, imitatione secundùm carnem nunc jam non novimus. Secundùm carnem Christus natus est in mundo, secundùm Spiritum Veritas nascitur in corde tuo. Christus in Judæâ nascitur de Virgine, & Veritas in confessione nascitur de puritate. *Veritas de terrâ orta est, & justitia de* Psal. 84. *Cœlo prospexit.* Quandò confiteris peccata tua, Veritas de terrâ oritur; quandò vero confitenti ignoscit Deus, respicit Justitia de Cœlo. Vis, ut tecum Deus sit, confitere quod es. Cum verax esse cœperis, Veritas tecum esse incipit. Dic, malus sum. Breve verbum est, sed verum est. Te Veritas veracem faciet. Si Veritas tecum est, Deus tecum est, quia Veritas Deus est. Mater Virgo puritas

eſt cordis, cum corde credis, quod ore confiteris. In confeſſione criminis, puritas eſt ſine rugâ, in confeſſione laudis, puritas eſt ſine maculâ. Si bonum non ſimulas,non habes rugam; Si malum odis, non habes maculam. Sic veritas in te deſiderio concipitur, opere naſcitur, ſtudio nutritur, ut proceſſu temporis ætate proficiat, ſapientia in augmento cognitionis, gratia in incremento virtutis.

X.

Varia de gemina Filii Dei Nativitate.

§.57. QUò nunc me vertam, *ò Dilecte*, neſcio, præfocatur hìc ſermo, titubat mecum ratio,extra me poſitum inter tanta miracula cerno; Deus naſcitur, Virgo parit, partus dolorem non affert: Virgo lacte cibat, Omnipotens alitur, pannis involvitur, obmuteſcit Verbum,lætitia plorat, & manibus portatur ille, qui ſuſtinet orbem. Succurre fides, ſuccurre.

Naſcitur Chriſtus, & nos renaſcimur; & naſcitur, ut in nativitate ejus noſtra omnium habeat etiam in æternum vita

ta natalem : quia qui privilegia primæ nativitatis amiſimus, viſitante nos Chriſto, ſanctiore partu redimus ad vitam. Maria peperit filium, ſed ipſa ſuum parturivit authorem. Edidit mundo hominem, quem non ſuſcepit ab homine. Quid hoc eſt miraculi? Naſcitur caro de carne, non tamen generata per carnem, & ſecreto quodam, incomprehenſoque conceptu, procedit de mortali fœmina divina progenies. Divina iſta progenies Verbum eſt, quod in tempore caro factum, non deſinit eſſe prolatum, ſed permanet natum. Verbum non tranſitorium, ſed æternum, non factum à Deo Patre, ſed genitum, nec ſolum genitum, ſed etiam Unigenitum. Unum quippè Verbum, Deus Pater de ſe ipſo genuit, per quod omnia creavit ex nihilo. Hoc Verbum erat in principio, & apud Deum erat, & Deus erat: & hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum ſunt facta, & ſine ipſo nihil eſt factum. In hoc autem, quod per illud Verbum Deus Pater omnia fecit, oſtenditur, quia hoc Verbum genuit ipſe, non fecit. Illud igitùr Ver- *Io. c. 1.*

bum de Deo Deus eſt ; undè hoc in ſe naturaliter eſt, quod Pater eſt. Natus eſt itaquè de Patre Deo Filius Deus: Alter in perſona, non alius in natura: ſemper apud Patrem, ſemper cum Patre, ſemper de Patre, ſemper in Patre. Semper apud Patrem, cum quo eſt illi una naturalis immenſitas: Semper cum Patre, cum quo illi una eſt naturalis æternitas: Semper de Patre, de quo illi eſt naturaliter æqualiſque divinitas. Et alter quidem ille, qui Pater eſt, alter ille, qui Filius eſt: neuter tamen alter Deus, quia Pater, & Filius unus eſt Deus. Quapropter, quandò de Patre Deo, & Filio Deo occurrit oratio, dignè dicimus alterum eſſe Patrem, & alterum Filium, & nihilominùs dignè dicimus, unum Deum eſſe Patrem, & Filium. Cum enim dicimus, alterum eſſe Patrem, alterum Filium, diſcretas perſonas Genitoris, Genitique monſtramus; Cum verò dicimus, unum Deum eſſe Patrem, & Filium, ipſam unam naturam indiſcretæ Divinitatis oſtendimus. Altera eſt enim Perſona Genitoris & Geniti, ſed una eſt utriuſque natura.

§. 58. O' igitur prodigia, ò miracula! Verbum istud propter nostram salutem de Cœlo descendit, & homo factus est. O' omnipotentia, qua Verbum, quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, fecit omne quod voluit. O' gratia, qua Verbum caro factum, venit quærere, & salvum facere, quod perierat. O' excelsa dignitas Virginis, quæ tantum valuit concipere, & edere Redemptorem. O' Omnipotentia ineffabilis, qua Verbum fecit omnem diem. O' gratia inenarrabilis, qua certo die concipi Filius Dei, & certo die dignatus est nasci.

§. 59. Idem igitur minoratùs paulò minùs ab Angelis, in die factus est hominum, qui coæternus, & æqualis Deo Patri, dies sanctorum semper est Angelorum. De ipso quippè Propheta dicit: *Annunciate de die in diem salutare ejus*, vel ut alii legunt: *Nunciate diem de die*. Quid est diem de die, nisi Filium de Patre? Lux enim dies est, unde scriptum est, *appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*, & Filius Lux est, quia de eo dictum est, *erat lux*

De die æternitatis, & temporis. *Psal. 95.*

Gen. c. 1.

Io. c. 1.

lux vera;si ergo Lux Filius est,quæ à Patre est,Lux de luce est, & sic dies de die est. Est igiturFilius dies,qui nō parietibus obstruitur:non elementis dividitur: nō tenebris obscuratur.Dies, inquam, sine nocte, dies sine fine: ubiquè radiat, ubique non

ad Rom. c. 13. deficit. De hoc die dixit Apostolus: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*. Præcessit, inquit, non subsequitur Nox, ut intelligas, nascente Christo, tanquàm supervenienti die lucidâ, & Diaboli tenebras effugari, & peccatorum obscuras non subsequi nebulas, & jugi splendore præteritas depelli caligines, & subrepentia prohiberi delicta.

Io: c. 1. §. 50. Dies est Filius, qui Cœlum, Terram, & Inferiora collustrat, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, qui sicut dies Cœli est se-

Psal. 16. des ejus, & de eo dictum est. *Dies diei eructat Verbum*. Ipse est enim dies Filius, cui Pater dies, suæ Divinitatis eructat arcanum. Ipse, inquam, est dies, quià procedit, ut splendor, à Patre. Est igitur de Patre Filius, de die dies, sed tamen Pater & Filius, non duo dies, sed unus est

dies.

dies. Eſt de Patre Filius, de Deo Deus, Pater tamen, & Filius non duo Dii, ſed unus eſt Deus. Unus igitur dies æternitatis ſimul Pater, & Filius à nobis agnoſcitur: In die autem temporis ſolus Filius in carne videtur.

§. 61. Dies æternus eſt Chriſtus, Unigenitus in formâ Dei manſit: Chriſtus in die temporis Unigenitus formam ſervi accepit. Chriſtus dies æternus dives permanens, ut conderet nos: Chriſtus in die temporis pauper factus, ut redimeret nos. Dies ęternus Chriſtus Deus de Patre Deo: Chriſtus in die temporis Deus Homo, de Matre Virgine. Chriſtus dies æternus, Verbum eructatum de corde Patris: Chriſtus in die temporis, Verbum caro factum de Utero Virginis Matris. Chriſtus dies æternus, Deus verus de Deo vero: Chriſtus in die temporis, Sponſus procedens de thalamo ſuo. Dies æternitatis Chriſtus in Æuo Sanctos Angelos creans: dies in tempore Chriſtus, homines ſalvans. Dies æternitatis Chriſtus, in Cęlo, Sanctos Angelos paſcens: dies temporis Chriſtus, homines in terrâ reficiens. Ut enim panem

nem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo, utrosque pascens, & integer permanens. Quàm bonus panis, qui & Angelos pascit per Speciem, ut de seipso satientur in Patriâ: & nos pascit per fidem, ne deficiamus in viâ. Ille panis, qui seipsum dat Angelis ad gaudium suavitatis, seipsum dedit hominibus ad remedium sanitatis; & qui est suavis Angelorum esca, factus est nobis medicina proficua.

De tribus diebus mysticis. §. 62. Sed ecce, dum de illâ ineffabili die contemplandâ discedimus, quid nobiscum attulimus? Quid, nisi lucem de Regione lucis venientes? Hoc enim decens, & necessarium est, ut si à lucis regione venimus, ad fugandas nostras tenebras, nobiscum lucem feramus. Appareat ergo, quod ibi fuimus, appareat, quod ibi vidimus. Et quis scire poterit, quod ibi fuimus, si illuminati non redimus? si ibi vidimus Potentiam, asportemus lucem divini timoris; si ibi vidimus Sapientiam, afferamus lucem veritatis; si ibi vidimus Benignitatem, feramus lucem dilectionis. Potentia, torpentes ad

amo-

amorem excitet: Sapientia ignorantiæ tenebris cęcatos, illuminet: Benignitas, frigidos, calore charitatis inflammet. Vide, quæſo, ò *Dilecte*, quid lux ſit, niſi dies, & quid tenebræ, niſi nox. Et ſicut oculus corporis habet diem ſuum, & noctem ſuam, ita quoquè oculus cordis habet diem ſuum, & noctem ſuam.

§. *63*. Tres ergo dies ſunt inviſibilis lucis, quibus interiùs ſpiritualis vitæ curſus diſtinguitur. Primus dies eſt Timor: Secundùs eſt Veritas: Tertiùs eſt Charitas. Primus dies Solem ſuum habet Potentiam: Secundus dies Solem ſuum habet Sapientiam: Tertiùs dies Solem ſuum habet Benignitatem. Potentia ad Patrem, Sapientia ad Filium, Benignitas pertinet ad Spiritum Sanctum.

§. *64*. Alii ſunt dies noſtri, quos habemus exteriùs, alii quos habemus interiùs. Dies noſtri exteriores, etiàm quùm, nolumus tranſeunt: dies verò interiores, ſi volumus, poſſunt in æternum permanere. Etęnim de Timore Domini dicitur, *quod in ſæculum, ſæculi permanet*. De Veritate quoque dubium nòn eſt, quìn in æternum Pſal. 18.

per-

permaneat: quia etsi in hac vità incipiat, tunc tamen plena, & perfecta in nobis erit, cum ipse, qui est Veritas, post hujus vitæ terminum, manifestus apparebit.

1. Cor. cap. 13. Tandē de Charitate dictum est *quod nunquam excidat*. Boni dies isti, qui nunquam transeunt; nam illi mali sunt qui obtenebrati à culpâ non permanent semper, de quibus dictum est: *dies ejus sicut umbra declinaverunt*. Psal. 101. Isti sunt dies, quos infecit culpa: illi dies, quos dedit gratia. Illos dies, qui foris sunt, solos mali noverunt: boni verò, qui jam internos dies videre meruerunt, eos, qui foris sunt, non solum non diligunt, sed etiàm maledicunt; dicentes cum Job: *Pereat dies in qua nacus sum &c. Dies ille vertatur in tenebras &c.* Job. c. 3. Illos ergo dies, qui intùs sunt, potiùs debemus amare, ubi lucem tenebræ non sequuntur, & ubi interiores oculi mundi cordis, æterni Solis splendoribus illuminantur. De his diebus Psalmista, ut supra dictum est, cecinit dicens: *Annunciate de die in diem salutare ejus*. Psal. 95 Quid est *salutare ejus*? Est Jesus ejus. Sic enìm interpretatur Jesus, hoc est *salu-*

lutaris, qui ideò ſalutaris dicitur, quià per eum homo ad ſalutem reformatur. De Ipſo autem Joannes dixit: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*; & Apoſtolus *vocat Jeſum Chriſtum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam*. Si igitur Dei Sapientia Jeſus Chriſtus eſt, & per Chriſtum Jeſum Veritas facta eſt, conſtat, quod per Sapientiam Dei, Veritas facta eſt. Io. cap. 1. 1. Cor. c. 1.

§. 65. Dies ergo Sapientiæ eſt Veritas. De hoc die ſuo, ipſa Sapientia Judæis loquitur dicens: *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*. Redemptio enim generis humani eſt Veritas Dei. Hanc priùs promiſerat; Quam nìmirùm dum poſtmodùm exhibuit, quid aliud quàm ſeipſum veracem oſtendit? Rectè autem per Sapientiam hæc Veritas impleta eſt, à quo omnis Veritas. Nec aliùs ad implendam Veritatem mittendus fuit, niſi is, in quo omnis Veritatis plenitudo conſiſtat. Benè ergo Abraham ad diem Veritatis exultat, quia Veritatem impleri deſiderat. Quam profectò diem tunc per Luc c. 10. Io. ca. 8.

Spi-

Spiritum vidit, quando Dei Filium ad redemptionem humani generis in carnem venturum agnovit. Dicatur ergo: *Annunciate de die in diem ſalutare ejus.*Diem ſecundùm de die primo in diem tertium; diem Veritatis de die Timoris in diem Charitatis. Primùm unus dies erat, dies Timoris. Venit dies alter, dies Veritatis. Acceſſit non ſucceſſit, quia prior non diſceſſit. Ecce duo dies: iterum eſt in diem tertium, in diem Charitatis: Sed & ille cum venit, priores non expulit: Beati dies iſti. Iſtis diebus homines impleri poſſunt, ubi futuris ſupervenientibus, præſentes non tranſeunt; Ubi numerus cum augetur, claritas multiplicatur.

§. 66. Et Beata ſit illa dies,in qua hæc Veritas data eſt; beata, inquam, ſit illa dies,& ſit ante omnem diem,quia fuit illa dies, quam fecit ſibi Dominus. Sed ego, nedùm Beatam dico, ex eo quod ſit dies illa, quam fecit Dominus, ſed Beatiorem hanc dico diem, quia in ea factus eſt Dominus. Genuit poſterior antiquum, occiduus ſempiternum. Dies, inquam,beata,

ta, dies aurea, dies ſuper omnia tempora benedicta, in qua factus eſt Dominus ſervus, ut perſona ſervi tranſiret in Dominum: ortumque ſuum in hac ſumpſit luce fons luminis, in quo noctis damna tranſiere in lucra diei: & nox fuit deficientibus tenebris minorata, & dies addita luci, producta: ut lucis auctore naſcente, omnis illa, quæ totum Mundum operverat, & texerat, nox infidelitatis diſcuſſa remaneret, & fides noſtra luceret ut dies, & velut meridies pulchra ferveret.

§. 67. O' tù ergo Dies de Die, Lumen de Lumine, ò Lux vera, quam videbat Iſaac interiùs, quando, caligantibus oculis exteriùs, Filio futura narrabat. Lux, inquam, inviſibilis, cui omnis abyſſus humani cordis eſt viſibilis. Lux, quam Jacob videbat, quando, ſicut tu intùs docebas, Filiis exteriùs ventura prædicebat. Ecce tenebræ ſunt ſuper faciem abyſſi mentis noſtræ, Tu es Lumen. Ecce caligo tenebroſa ſuper aquas cordis noſtri, Tu es Veritas. O' Verbum, per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil.

Verbum, quod es ante omnia, ante quod nihil: Verbum creans omnia, ſine quo omnia nihil: Verbum regens omnia, ſine quo nihil ſunt omnia: Verbum, quod di-
Gen. c. 1. xiſti in principio: *Fiat Lux*, *& facta eſt Lux*; Dic etiàm nobis fiat Lux, & facta ſit Lux: & videamus lumen, & cognoſcamus, quidquid non eſt lumen: quia ſine Te nobis tenebræ lumen, & lumen tenebræ ponuntur. Et ſic ſine tuâ luce non eſt veritas, adeſt error, adeſt vanitas: non eſt diſcretio, adeſt confuſio: adeſt ignorantia, non eſt ſcientia: adeſt cæcitas, non eſt viſio: adeſt invium, non eſt via: adeſt mors, non eſt vita. O' Lux, quam non videt alia Lux: Lumen quod non videt aliud lumen: Lux, quæ obtenebrat omnem lucem, & Lumen quod excæcat omne extraneum lumen: Lux à quo omnis lux, Lumen, à quo omne lumen, Lumen, ad quod omne lumen eſt tenebrę, ad quod omnis lux obſcuritas: Lux, cui omnes tenebræ lumen, cui omnis obſcuritas lux: Lux ſuprema, quam cæcitas non obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obſcurant, quam numquàm ſe-

parat

parat aliqua umbra ; Lux , quæ illuminas omnia tota ſimul , ſemel & ſemper ; abſorbe nos in claritatis abyſſum , ut videamus undiquè Te in Te , & nos in Te , & cuncta ſub Te . Ne derelinquas nos , ne accreſcant umbræ ignorantiæ noſtræ , & multiplicentur delicta noſtra . Sine Te enim omnia ſunt nobis tenebræ , omnia mala : quia nihil bonum ſine Te vero, ſolo , & ſummo bono .

X I.

§. *68.* LActa , lacta tu interìm , ò Mater , & Virgo Maria , cibum noſtrum ; lacta panem de Cœlo venientem , & in Præſepio poſitum , velut piorum cibaria jumentorum . Lacta eum , qui talem fecit te , ut ipſe fieret in te , & tales fecit nos , ut divinitatis ſuæ tribueret eſſe participes . Lacta , lacta, ò Virgo Beata , Ubere de Cœlo pleno; refice , ò Benedicta , Deum tuum, qui tibi , & munus fæcenditatis attulit conceptus , & Decus Virginitatis non abſtulit natus . Qui ſibi priùs , quàm naſceretur , & Ute-

Laudes B. Mariæ, & Pueri Jeſu.

rum, de quo nasceretur, & diem, quo nasceretur, elegit; ut Ille hinc procederet de Thalamo suo, quo posset videri mortalibus oculis, & augmento lucis annuæ se lucem mentium venisse testari.

§. 69. Hæc sunt, ò Bonæ Jesu, magnalia tua; & hæ sunt, ò Virgo Sancta, ineffabiles laudes tuæ. Tu namquè, Domina, admirabilis singulari Virginitate, amabilis salutari fœcunditate, venerabilis inestimabili sanctitate; Tu ostendisti Mundo Dominum suum, & Deum suum, quem nesciebat: Tu Visibilem exhibusti mundo Creatorem suum, quem priùs non videbat: Tu genuisti mundo restauratorem, quo perditus indigebat: Tu peperisti mundo Reconciliatorem, quem reus non habebat. Per fœcunditatem tuam Mundus peccator est justificatus, damnatus salvatus, exul reductus; Partus tuus mundum captivum redemit, ægrum sanavit, mortuum resuscitavit. Et quia in conditione generis humani per Mulierem, quæ de solo Viro facta est, contigit, ut mortis vinculo teneremur obstricti: hoc in Redemptione humani generis divina

bo-

bonitas egit, ut per virum, qui de te ſolâ Muliere, ò Virgo Sancta, natus eſt, vita hominibus redderetur. Illìc humanam naturam nequiſſimâ deceptione ſibi Diabolus in peccati ſimilitudine ſociavit: humanam hìc Deus naturam in unitate perſonæ ſuſcepit. Ibì fœmina decepta eſt, ut fieret filia Diaboli:hìc tu Virgo gratia repleta es, ut fieres Mater Summi,atque incommutabilis Unigeniti Filii Dei. Ibì Angelus per ſuperbiam dejectus, animum obtinuit ſeductæ Mulieris: hìc Deus humilians ſe per miſericordiam, tuum Uterum incorruptum, ex eo naſciturum implevit.

§.70. Et antequàm tibi,ò Redemptor noſter,fluctus ſubſternerentur calcanti,cederent imperanti: antequàm Aquilo, te jubente, ſiluiſſet: mortuus, te vocante, revixiſſet: ſol, te moriente, palluiſſet: terra, te reſurgente, tremuiſſet: Cœlum, te aſcendente, patuiſſet: Antequàm iſta, & alia mirabilia feciſſes; in manibus Matris portabaris, ubere lactabaris, & vinculis ſtringebaris, & jam Dominus Orbis agnoſcebaris. Tu puer parvulus ſed Deus

immenſus. Tu Verbum, quo dicto, non ſiluit, qui dicebat: & eſt ſine tempore, & per Verbum facta ſunt tempora. Verbum, quod initium non habet ex ore hominum loquentium, & tamen aperuit ora mutorum; Verbum, quod linguis Gentium diſertis non fit, & linguas infantium facit eſſe diſertas; de ſinu Patris deſcendiſti, & ob eximiam tuam charitatem ad noſtram infirmitatem acceſſiſti, per id quod aſſumpſiſti ex noſtro, & nos liberaſti per id, quod permanſit in tuo.

Explicatur textus: butyrum, & mel comedet &c.

§. 71. O' Puer amabilis, Puer admirabilis, Puer adorabilis, Puer venerabilis, Puer ſpecioſiſſime, Puer dilectiſſime, Puer candidiſſime, Puer auguſtiſſime, tu Puer parvulus ex ſemine Iſrael, & tu nobiſcum Deus Emmanuel. Benè de te dixit

Iſ. cap. 7.

Iſaias: *vocabitur nomen ejus Emmanuel butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*. Tu namque butyrum comediſti, quì in humanitate aſſumptâ deſupèr plenitudinem ſpiritus accepiſti, & mel comediſti, quando ſicut homo inferiùs per carnem opera virtutum exhibuiſti. Butyrum enim, & mel

co-

comedere, eſt cor in affectu Pietatis, & foris per bona opera, & intùs per contemplationem exercere. Verùm Tu ad refectionem butyro, & melle non eguiſti, nam in te à principio Conceptionis tuæ, ex quo homo eſſe cœpiſti, ſemper fuit omnium plenitudo Virtutum. Comediſti tamen homo ex tempore, qui ipſe cibus fuiſti Deus ex æternitate. Comediſti, non ut te jejunum reficeres, ſed ne plenus jejunos faſtidires. Comediſti butyrum, non ut Virtutem Charitatis in te per opera augeres, ſed ut in nos ejus affectum effunderes. Comediſti mel, ſupernorum dulcedinem, nec pro ignorantiâ requirens, nec pro defectu appetens: ſed præſentem ſemper pleniſſimâ cognitione aſpiciens, & poſſeſsâ, ptrfectiſſimâ Charitate, utens. Non ergo ad refectionem Corporum ſed Animorum comediſti, qui plenitudinem poſſidens, idem ipſe perfectio fuiſti. Sed butyrum comediſti, ut ſcires reprobare malum, & mel comediſti, ut ſcires eligere bonum. Ergo comedẽdo, didiciſti reprobare malum, & eligere bonum. Si enim non comediſſes, non

gustasses, si non gustasses, per experientiam non novisses. Ergo comedisti & gustasti: gustando sensisti, & agnovisti. Et quid comedisti? Butyrum, & mel. In butyro aliquid amaritudinis mixtum erat. In gustu mellis, nihil amaritudinis inveniri poterat; & propterea illìc inventum est, quod meritò reprobari, hìc autem nihil, nisi, quod jure eligi debuisset.

§. 72. Videamus nunc amaritudinem butyri. Tu Filius Dei per humanitatem in mundum veniens, innumera opera pietatis humano generi in vitâ tuâ exhibuisti, verbo docuisti, exemplo provocasti; & ut postremò Salvatorem mundi te indubitantèr astrueres, mentibus humanis, assiduis virtutibus & miraculis, occultam in carne tuâ aperuisti Majestatem Divinitatis. Totum hoc butyrum erat. Et ubi est amaritudo? Sed quoniam cum naturâ etiam infirmitatem assumpsisti, ista agendo cum affectu pietatis in fame & siti, frigore & æstu, labore & fatigatione, cæterisque nostræ mortalitatis pœnis, & defectibus, sustinuisti amaritudinem passio-
Io. cap. 4. nis. Quodam enim tempore *tu fatigatus*

ex

ex itinere sedebas suprà fontem, & veniente Samaritanâ potum petiisti. Ecce amaritudo. Posteà venientibus cum escis Discipulis, & mirantibus, quod cum muliere loquereris, ut ostenderes quid eligeres, & quid reprobares, dixisti: *ego alium cibum habeo, quem vos nescitis. Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei.* Hic demonstrasti butyrum. Cibus, dicebas, quem vos nescitis, butyrum est; sed quia iste sine illo non sumitur, ego veni in illo istum comedere, & in isto illum reprobare. Sic quando dixisti Judæis: *amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Ecce butyrum, sed adest amaritudo; nam illi dixerunt: *nunc cognovimus, quia Dæmonium habes; Abraham mortuus est, & Prophetæ mortui sunt: & tu dicis, si quis sermonem meum servaverit mortem non gustabit in æternum.* Sed Tu abrasâ amaritudine ad esum butyri te convertisti, & dixisti: *antequàm Abraham fieret ego sum.* Ipsi verò rursùm amaritudinem aspergentes, tulerunt lapidem, ut jacerent in te; sed tu reprobasti malum, Io. c. 8.

quia

quia te abſcondiſti, & de templo exiviſti. Sciviſti ergo reprobare malum, comedendo butyrum, quia tu in homine Deus, opus pietatis exhibens, & impiorum perſecutionem, præſertim in paſſione tuâ, ſuſtinens, quàm fuerit reprobanda eorum pravitas, ſenſiſti per experientiam, quam priùs idem ipſe reprobaveras per providentiam.

§. 73. Sed quomodò mel comediſti, ut ſcires eligere bonum? In guſtu mellis nihil amaritudinis invenitur: & proptereà totum, quod ibì eſt, ab experiente eligitur. Ergo mel comediſti, ut ſcires eligere bonum; per experientiam igitur bonum didiciſti, qùi ſempèr idem ipſa bonitas fuiſti; & hæc pietatis laus eſt, & miſericordiæ tuæ præconium eſt, quod pro nobis ita inclinari dignatus ſis, ut accipere poſſes in eo, quod aſſumpſiſti, id, quod ſemper habes in eo quod fuiſti. Hoc enìm tu Deus Homo per experientiam guſtaſti ex tempore, quod ipſe Homo Deus per naturam eras ex æternitate. Ergo mel comedit Divinitatis humanitas, cum ſe infudit, atque univit infirmitati Majeſtas.

Ibi humana natura, pleno ſatietatis guſtu, ſupernam dulcedinem haurire cæpit, ubi totum, quod eſt Deus ineffabili gratiâ ſibi unitum accepit. Tamen comedere hominis erat, eſſe cibum Divinitatis. Verus ergo tu homo Emmanuel, qui mel comediſti, ut ſcires eligere bonum: Verus tu Deus Emmanuel, qui mel fuiſti, non per experientiam diſcens, ſed per naturam ſciens ſeipſum bonum. Unus tamen es & idem, per ſe & per naturam ſciens, & per experientiam diſcens; quia tu idem ipſe Homo accepiſti per experientiam, quod fuiſti Deus ipſe per naturam.

§. 74. O' Emmanuel bone, nobiſcum Deus, propterea tu butyrum, & mel comedere potuiſti, quia Emmanuel factus es nobiſcum Deus. Deus enìm apud te, nec accipere potuiſti quod eras, nec quod non eras, ſuſtinere. Propterea Emmanuel factus es nobiſcum Deus, ut in noſtro humiliatus, in ipſo & deſupèr, quod tuum eras, acciperes, & quod noſtrum erat inferiùs, tibi ſociares. Ergo Emmanuel factus es nobiſcum Deus, ut poſſes butyrum, & mel comedere, & inter come-

medendum diſceres, bonum eligens, malum reprobare.

§. 75. At quid dico? Quis eſt ſapiens, ut intelligat hæc? Qualis ergo tu Deus eras antiquus, qui in principio, lucem à tenebris diviſiſti: ſi butyrum, & mel comediſti, ut ſcires bonum eligere, & malum reprobare? An fortè, & eligere virtutis erat, & diſcere dignationis? Ergo Emmanuel eligere, & reprobare, didicit: quia, qui in ſui naturâ non poterat diſcere, in noſtrâ ſaltem experimento valeret addiſcere: & arbitrio voluntatis, rejecto malo, bonum eligere. Cui in ſe confirmato dedit poſſe non poſſe in malum deficere, bonique electionem ſequi voluntate liberâ, non coactâ. Neque idcircò minus liberum, eo quod nec aliud poſſit pati voluntarium, nec ad aliud compelli invitum; ſed idcircò verè & ſummè liberum, quia non poſſit vel aliud pati, quàm velle, vel aliud velle, quàm poſſe, ſive aliud poſſe, quàm benè velle.

§. 76. Sic tu Emmanuel butyrum, & mel comediſti, ut ſcires reprobare malum, & eligere bonum, quia in humanâ natu-

naturâ, quam aſſumpſiſti, rationabili judicio voluntatis ſanctæ, malum odiſti, & bonum elegiſti. Sicut ſcriptum eſt: *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*; & de te dixit Apoſtolus: *& quidem cum eſſet filius Dei; didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam; & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ*. Tu ergo ex iis, quæ paſſus es, obedientiam didiciſti; quia qui filius eras æqualis per naturam, ut ſubeſſe poſſes, id, quod inferiùs paſſibile erat, aſſumpſiſti per gratiam. Quaſi enim diſcere fuit, quod per naturam non habuiſti in tuo, in uſum aſſumpſiſti ex alieno.

Pſal. 44.

Ad Heb. c. 5.

§. 77. Extollamus nunc mentem, *ò Dilecte*, tranſcendamus cum divino adjutorio carnem noſtram, & elevemus nos ſuprà animas noſtras: pariunt enim, & ipſæ aliquid cogitando, qnod ſecum habent ſciendo: ſed poſſunt amittere obliviſcendo, quia & non habebant anteà naſcendo. Cuncta corporalia, & temporalia, & mutabilia traſcendamus, ut videamus

mus ſuper omnia, per quem facta ſunt omnia. Aſcenſus noſter in corde eſt, quia & illud, quò aſcendimus, propè eſt. Longè autem ab illo ſumus, in quantum diſſimiles ſùmus. Hoc ergo Verbum, hunc Virginis filium, & Virginum ſponſum, de incorruptâ matre naſcentem, & incorruptibili veritate fœtantem, laudemus, amemus, adoremus, ut in ejus miſericordiâ fiſi, de aſtutiâ Diaboli triumphemus. Veniamus ad eum credendo, proficiamus gratias agendo, agnoſcamus perſeverando, ut ſimus ejus humilitati ſimiles, ſi ejus gloriæ volumus eſſe conſortes. Et quoniam nos miſeri homines ſumus, & per acceſſum temporis ad augmentum virtutis proficimus, pro neceſſitate noſtri defectns, butyrum & mel non ſolum ad delectationem, ſed etiam ad refectionem manducemus, ut ſimus Emmanuelis noſtri imitatores, qui butyrum, & mel comedit, ut ſciret reprobare malum, & eligere bonum; comedamus butyrum, ut in nobis per opera pietatis foris amor proximi exerceatur; mel comedamus, ut pér contemplationem veritatis, intùs Dei

amor

amor nutriatur. Quod si quotidie in opere pietatis, labore afficimur, in gaudio contemplationis dulcedine refovemur, tunc in butyro admixtam amaritudinem invenimus, & in melle dulcedinem puram percipimus. Et hoc totum fit, ut sciamus reprobare malum, & eligere bonum; idest, ut ipso experimento discamus; quantùm præsens vita, in qua nec bonum sine dolore fieri potest, sit fugienda: & futura, in qua dolor non est, appetenda.

XII.

§. 78. REclinaverat jam suum Virgo Puerum in Præsepio, quoniam non erat ei locus in diversorio. O' Deus immortalis! non erat in alieno hospitio locus illi, qui condidit locum? Illi, qui omnem replet locum, *De Paupertate Christi.* illi, qui omnem continet locum, deficit locus? O' extremam paupertatem, loci indigentia! Cui deest in orbe locus? Quid mirum si cuncta desint, cui etiam in diversorio alieno deerat locus? Alieno nascitur loco, alieno conditur sepulchro, alie-

alieno in vitâ utitur hoſpitio, & nihil penitùs differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium; & qui ad Dexteram Patris ſedet, in diverſorio loco eget, ut nobis in Domo Patris ſui, multas manſiones præpararet; & in viâ naſcitur, quia per incarnationis myſterium Via factus eſt, quà nos ad Patriam, ubi veritate, & vita fruemur, adduceret: & ut oſtēderet, quia per humanitatem, quam aſſumpſerat; quaſi in alieno naſcebatur. Propter te ergo, ò *Dilecte*, potentia facta eſt infirmitas, propter te opulentia facta eſt inopia: noli hoc æſtimare, quod cernis, ſed quod redimeris, agnoſce.

§. 79. Age jam infans decore, incipe comedere butyrum cum amaritudine ſuâ, noſtras incipe ſentire miſerias, noſtros incipe portare labores, noſtros incipe ſufferre dolores; aggredere ſalutis noſtræ præludia, major poſtmodum majora facturus. Accingere gladio tuo ſuper fæ-
Pſal. 44. mur tuum potentiſſime. Exulta, ut gigas alacritèr ad percurrendam laborio-
Iſal. 18. ſam vitæ mortalis viam. Arduum iter aggredere, & opus incipe, ad quod ve-
3. Reg. c. 19. niſti: longa enim tibi reſtat via: plura te

ma-

manent periculosa discrimina: innumera tibi vincenda certamina: acerrimique pro nobis subeundi labores.

§. 80. O' elegantem Puerum, ò Puerum pulcherrimum, tantis laboribus natum; felices lachrymæ, quibus crimina nostra abluuntut: felices ploratus, quibus æterna gaudia possidemus: felices panni, quibus nostra nuditas operitur,& immortalitatis gloriâ vestimur: felix arctitudo Præsepii, qua nobis Cœli amplitudo donatur. Tu enim, Domine, jaces in Præsepio, ut nos cœlesti sedeamus in Throno: Tu brutis animalibus associaris, ut nos cuneis Angelicis inseramur: Tu virgineo lacte cibaris, ut perpetuas nos mereamur degustare delicias. Meum tua paupertas patrimonium est; & mea virtus infirmitas tua: mea gloria dejectio tua, & mea est sapientia infantia tua; meum est totum, quod pro me pati dignatus es. Me illa arctitudo dilatat, me illa indigentia ditat, me vagitus ille lætificat, me stabuli abjectio sublimat. Quanta mihi in his omnibus fiducia, quanta gloria: plus namque, Domine, injuriis tuis debeo,

quibus redemptus ſum, quàm operibus tuis, quibus conditus ſum. Longè enim plus eſt minimum quodque pro homine impaſſibilem pati, quam cuncta mirabilia omnipotentem perpetrare. Quid enim naſci profuit niſi redimi profuiſſet?

§.81.O' Homo in carne tibi exhibetur, ſapientia illa quondàm occulta, ecce jam trahitur de occultis: & ipſis ſeſe tuæ carnis ſenſibus ingerit. Carnalitèr (ut jam dixerim) prædicatur tibi, fuge voluptatem: quia poſita eſt mors secùs delectationis introitum. Age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei. Hoc tibi prædicat ſtabulum, hoc præſepe clamat, hoc membra illa infantilia manifeſtè loquuntur, hoc vagitus euangelizant & lachrymæ. Plorat quippe Chriſtus, ſed non ſicut cæteri; aut certè non quare cæteri ſolent. In aliis ſenſus, in Chriſto prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpotè nec ipſius adhuc uſum voluntatis habentes. Illi ex paſſione lugent, Chriſtus ex compaſſione.. Illi jugum grave, quod eſt ſuper omnes filios Adæ, Chriſtus filiorum Adæ peccata deplorat: &

certè

certè pro quibus nunc lachrymas fundit, posteà fundet & sanguinem. O' duritia cordis mei! Utinam Domine, sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat. Siquidem & hoc pollicitus es per Prophetam: *auferam*, inquis, *à vobis cor lapideum*, *& dabo vobis cor carneum*. *Dilecte*; lachrymæ Christi mihi & pudorem pariunt,& dolorem. O Munde immunde, venit qui te redimat, & turbaris: & tu vis eum perdere; quando ipse disposuit te liberare. O' Judæorum terra impia,non congruis Cœlo. Cœlum demonstrat,ut adoretur,& tu quęris ut infans occidatur.Ille tibi annuntiat per Angelos, Deum hominem suscepisse pro te, & tu vis perdere eum, qui venit redimere te. *Eze l.11.*

§. 82. Sed dic mihi,Deus meus,fabricator omnium & rector, cum ubique totus nutu omnia regas, omnia moveas, omnia intuearis, & judices; cum te omnia confiteantur, venerentur, metuant, contremiscant; cum sis summa, & inaccessibilis lux, & pulchritudo, & sapientia, cum sis summa plenitudo atque perfectio; summum deficiensque nunquam

gaudium, ſumma inexplebiliſque ac ſempiterna Beatitudo, cum ſis immenſus, infinitus, æternus, incomprehenſibilis; cum ſis ſummum illud ingens, verum, ſtabile, atque unicum bonum, quod nemo ſat eloqui, nemo demonſtrare, nemo capere, aut intelligere queat; dic mihi, inquam, Deus meus, & Puer meus, & Pater meus, & Frater meus, & Sponſus meus, & Dilectus meus, & Amor meus, & Vita animæ meæ, dic mihi, cum hæc ſis Deus, qualis fuit ea ſententia tua, ut eligeres te ſocium facere infimæ naturæ noſtræ, ut ſineres te delabi in hoc luteum vaſculum corporis noſtri, quo nihil infirmius, nihil fragilius, nihil vilius, nihil immundius, nihil abjectius? Reſponde Deus meus; cur hæc, ut ex magno fieres minimus, ex potentiſſimo tenuiſſimus, ex opulentiſſimo egentiſſimus, ex glorioſiſſimo deſpectiſſimus?

§. 83. Hìc me confundit, obruitque tanta rerum altitudo, tanta myſteriorum abyſſus. Sed qui exuberantiſſimam, quam generi humano charitatem exhibes, ardentiſſimumque ignem tui amoris ignorat, confundi proculdubio, obruique neceſſe

cesse est. Ergo te tantum, ut deprimeres solus impulit Amor, adegit Pietas, perstrinxit Charitas. Ergo te sola Dilectio ex altâ illâ, qua cuncta circumspicis, Cœli speculâ ad hos tenebrosos, teterrimosque mundi carceres traxit. Ergo te illa nobis dedit, illa deflexit, illa inclinavit, illa miserum tibi, & calamitosum servitutis jugum innexuit. Ita nos ergo, bone Deus, dilexisti, ut non dedignareris nostri corporis formam; ita charos habuisti, ut virginali utero claudi patereris, ita misertus es infelicis sortis nostræ, ita reatus nostros purgare, ita diluere maculas, & quam primi parentis invexerat culpa, proprio cruore dilueres; & ita in terram descenderes, ut Cœlo demum nos, unde exules facti eramus, nostrâ hac acceptâ infirmitate restitueres.

§. 84. O' quibus nunc extollam verbis tàm profluentem tuæ bonitatis immensæ fontem. O' quibus prædicem laudibus, tàm profusum, exundantemque divinæ pietatis tuæ, & manantis dilectionis fluvium: tantum fluentis vivæ aquæ tuæ impetum, qui abundè Civitatem Dei

 læ-

lætificat. Quibus feram præconiis tam lata, apertaque viscera misericordiæ tuæ, in quibus visitasti nos oriens ex alto; ut illuminares, qui in tenebris, & in umbrâ mortis erant. Tu namque legem nobis attulisti: à legali, veterique servitute liberasti: per gratiam vivificasti, per sacramenta consolidasti: viam ad Cœlos aperuisti, & æternis sedibus, è quibus maligni illi spiritus ejecti fuerant, dignos fecisti. Tu factus es nobis sapientia in prædicatione, justitia in peccatorum absolutione, sanctificatio in conversatione, Redemptio in passione. Tu fecisti, ut nos valeamus dicere, Participes Dei sumus per creationem, noster est Deus per incarnationem: dicit Deus, meus est homo sed dicit nunc homo, & meus est Deus. Tu nos æterno Patri reconciliasti cujus inimici ex peccato eramus; tu nobis abundantiam pacis donasti, & quanto inimicitia erat perniciosior, tanto pax fuit pretiosior; tu nos Dei omnipotentis filios fecisti, nam per nativitatem tuam factum est, ut filii Dei nominemur, & simus. Tu fecisti, ut Deum nostrum sequi valeamus

ho-

homo namque ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri non poterat; ut ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem ſequeretur homo, tu Deus factus es homo. Quid plura, tot ſunt munera, tot ſunt gratiæ per incarnationem tuam generi humano collatæ, ut nec lingua dicere, nec intellectus capere ſufficiat, & melius eſt præterire ſilentio.

§. 85. Et quænam fuit tot tantorumque bonorum cauſa? Charitas, ut dictum eſt. O' charitas charitas, quæ tantùm in Deum prævaluiſti, ut eum de ſede ſupernæ majeſtatis ad infirmitatem noſtræ humanitatis adduceres; tu traxiſti incommutabilem, tu feciſti æternum mortalem, tu ligaſti inſuperabilem, tu vulneraſti impaſſibilem, ut hominem de terra ad Cœlum elevares. Quàm fortis es, quàm potens es; ò charitas? Tu mediatrix es, adverſos concilians, disjunctos ſocians, & diſpares æquans. Deum humilians, nos ſublimans, illum ad ima trahens, nos ad ſumma erigens; ſic tamen, ut nec abjecta ſed pia ſit ejus deſcenſio, nec ſu-

perba sed gloriosa sit nostri exaltatio.

§. 86. O' quàm forte est vinculum tuum, quo & Deus ligari potuit, & homo ligatus valuit vincula iniquitatis disrumpere. Magna virtus tua, ut per te usque ad hoc humiliaretur Deus, & usque ad hoc exaltaretur homo. Considero Deum ex Virgine natum, infantem, pannis involutum, positum in præsepio, vagientem, sugentem ubera. Respicio posteà comprehensum, ligatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, sputis illitum, cruci affixum, felle & aceto potatum, lanceâ vulneratum; illìc indigna, hìc dira passum: & tamen, cur vel illa dignaretur, vel ista pateretur, si causam quærimus, aliam præter solam charitatem, non invenimus. O' charitas, quantùm potes? O' charitas, quantùm erga Deum invaluisti! tu illum è Cœlis, tuis vinculis adduxisti alligatum, & illum reduxisti sagittis tuis vulneratum. O' charitas quanta est victoria tua, unum priùs vulnerasti, & per illum omnes postmodùm superasti.

§. 87. O' stupor; ò vis, ò excellentia Charitatis. Immoremur in ejus laudibus

dibus, cum ad ipsam nostra tota dissertatio dirigatur. Charitas est lex vitæ, disciplina morum, pax conviventium, gloria concordium, criminum abolitio, legis plenitudo, Scripturæ Sacræ compendium, præceptorum Dei consummatio, Virtutum Virtus, bonorum impletio meritorum. Omnia mandata vitæ, omnia justitiæ opera referuntur ad eam. Denique si velis naturam virtutum examinare subtiliùs; quid est temperantia nisi amor, quem nulla voluptas allicit? Quid Prudentia nisi Amor, quem nullus error subducit? Quid Fortitudo nisi Amor, qui nulli adversitati succumbit? Quid Justitia nisi Amor, qui quod suum est unicuique distribuit?

§. 88. Charitas est quædam luminosa dies quietis, prosperitatis, & pacis; ipsa est Corona regni Cœlestis; summa communio per amorem est in Trinitate, & per amorem ordinantur Angeli in ministeriis suis; propterea in eis est idem velle, idem nolle, ideò amantur singuli à singulis, & à singulis universi. Hujus spiritus communicatio procedit in hominum Corda,

ut quæ propria sunt unius, flant aliis ex charitate communia. Ab illo ineffabili fonte amoris, summæ, & individuæ Trinitatis derivationem accepit ista communio, & in unitate Spiritus, Fidei, & Baptismi, est Ecclesia primitiva fundata.

§. 89. O' Charitas, tu ergò regnas in Cœlo, tu in terrâ dominaris: Tu possides omnia, reples omnia, substentas omnia. O' charitas plena deliciis, divitiis, & honoribus, quàm dulcitèr capis jugo tuo sancto; quàm gloriosè illaqueas, quàm suavitèr premis, quàm fortitèr stringis, quàm delectabilitèr ornas, quàm sapientèr erudis? Tuo amore vulneratus sum, tuâ suavitate refertus, tuâ pulchritudine captus, tuâ dulcedine inebriatus, tuis amplexibus astrictus. Vim patior à te, nec sine te me esse vis. O' felix charitas, ò divinus amor, ex quo nascitur strenuitas morum, puritas affectuum, sublimitas intellectus, desideriorum Sanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, reple cor meum, ut non sapiat nisi te: affectum meum, ut non jucundetur nisi in te; os meum, ut non loqua-

quatur, nisi de te. Da mihi, quæso, ut omnibus narrem mirabilia tua: aperiam thesauros tuos, ut augeatur numerus servorum tuorum. O' dulce vinculum, ò salubre vinculum mentium, sine qua dives est pauper, & in qua pauper est dives.

§. 90. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat: in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris: in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima: inter veros fratres lœtissima, inter falsos fratres patientissima. In Abel Sacrificio grata; in Noë per diluvium secura; in Abrahæ peregrinatione felicissima; in Moyse inter injurias lenissima; in David mansuetissima. Casta in Susanna, in Paulo libera ad arguendum; in Petro humilis ad obediendum; in Christianis devota ad confitendum: in Christo divina ad ignoscendum. Quid ampliùs ò bona charitas, ò cara charitas addam laudibus tuis? O' charitas, ò suavitas, ò osculum, ò amplexus quis valet introire potentias tuas, quis investigare divitias tuas? O' altitudo Sacramentorum Charitatis Dei: ò latitudo, ò sublimitas, ò profunditas. O' amica

ca Charitas cibus ſuaviſſimus, quæ mœſtos lœtificas, feſſos allevias, & roboras debiles. Tu ſola es, quam felicitas non extollit, quam conſcientia non pungit. Inter opprobria ſecura es, inter odia benefica, inter iras placida, inter inſidias innocens, inter iniquitates gemens, & in veritate reſpirans. Illabere igitùr nobis ò dulcis, & ſuavis charitas, dilata cor noſtrum, deſiderium expande, noſtræ mentis ſinum diſtende, amplifica noſtri cordis hoſpitium, ut capere poſſit hunc Puerum, quem pannis involutum in præſepio poſitum, ut Deum, & hominem verum, & confitemur, & contemplamur.

X I I I.

§.91. UNigenitum ergò Dei Filium è Cœlis ad terras ſola Charitas traxit, & hominem, Diaboli ſervum, per peccatum inobedientiæ, liberum fecit; eumquè undè ceciderat, ad Paradiſum reduxit; etſi ad dejiciendum hominem potens fuit inobedientiæ culpa; ad illum erigendum Dominicæ Nativitatis

Cur Deus redemerit Hominẽ, & non Angelũ.

tis

tis potentior extitit gratia. Valuit equidem inficere venenofa antiqui ferpentis aftutia; fed infectum curavit nati Salvatoris præpotens medicina. Inimicus Dei & hominis Diabolus extitit inventor miferiæ, fed furrexit Deus operator mifericordiæ. Ille, fuâ fraude, hominem miferum reddidit; Deus compatiens mifero, ne mifer in miferia remaneret, fecit mifericordiam: & qui priùs peccantem Angelum juftè damnaverat, ab eo feductum hominem mifericorditèr refpexit. Peccavit Angelus, & à Deo in æternum damnatur: peccavit homo, & Deus in tantum illi compatitur, ut non folùm pro illo incarnari, & nafci dignaretur, fed mori. O' mira, & inenarrabilis circa hominem Domini pietas! O' jufta contra Angelum Dei feveritas! Uterque peccando corruerat: Sed Angelum ad pœnam Deus deputavit æternam cenfura juftitiæ, & hominem revocavit ad gloriam intuitu mifericordiæ. Provida namquè, & rationabili Dei difpenfatione actum eft, ut cujus gradus fuerat altior, ejus cafus fieret gravior: & qui nullo alio, nifi feipfo, fuadente,

dente, vel decipiente, & solâ superbiâ, suæ perditionis fuit auctor, ita majori plecteretur pœnâ; & dum in illo superbia cœpit initium, ejus careret fine supplicium: nec ullâ deinceps ratione ei liceret habere spem veniæ, qui inventor extitit, & manet inflexibilis Auctor, tantæ nequitiæ.

Quare dilata Incarnatio.

§. 92. Sed quarè, cum initio peccatum vigeret, & tam ineffabilia bona per Christi Incarnationem, fuerant humano generi præparata fuit tandiù dilata Incarnatio, & non in primâ, vel in secundâ ætate venit Filius Dei in Mundum, ut suas divitias effunderet, & ne latiùs serperet culpa, & propagaretur peccatum? Quoniam is, qui naturæ consulebat, sapientiâ, & providentiâ distulit beneficium erga nos suum. Quià namque malitiæ morbus semèl naturam humanam invaserat, expectavit Orbis Medicus, ut omnia genera improbitatis, quæ in ipsâ naturâ latitabant, erumperent. Posteaquàm igitur malitia pervenit ad summum, tunc optimus Medicus remedium, quo totam ægritudinem curaret, adhibuit; quamobrem

rem non exorienti,ſed perfecto jam morbo mederi voluit; Et etiàm, ut tantum remedium, magnum ægri præcurreret deſiderium; Et conveniens erat ita fieri, ut Deus hominem, quem ſextâ die condiderat, ætate ſextâ redimeret. Et ut Diabolus, qui mortalium neminem ſibi reſiſtere, ac de jugo ſuo cervicem excutere videbat poſſe, taliter quaſi ex longâ conſuetudine ſecurior factus, Salvatorem dum mortalem videret, ſalutis myſterium haud ipſe perciperet: Sed ſicut omnes mortales, quaſi nihil reputando, audactèr rapiebat, ita & audactèr in illum mittere manum præſumeret; Si enim, ut ait Apoſtolus, cognoviſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent.

§. 93. Ceſſent igitùr illorum querelæ, qui impio murmure divinis diſpenſationibus obloquentes, de Dominicæ nativitatis tarditate cauſantur: tanquam præteritis temporibus non ſit impenſum, quod eſt in ultimâ mundi geſtum ætate. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta: & Sacramentum ſalutis humanæ in nullâ umquàm antiquitate ceſſavit. Quod præ-

prædicaverunt Apoſtoli, hoc annuntiavere Prophetæ: nec ſerò eſt impletum, quod ſemper eſt creditum. Sapientia verò, & benignitas Dei, hac ſalutiferi operis morâ, capaciores nos ſuæ vocationis effecit: ut quod multis ſignis, multis vocibus, multiſque myſteriis, per tot fuerat ſæcula prænunciatum, in his diebus Euangelii non eſſet ambiguum; Et Nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat exceſſura menſuram, tantò coſtantiorem in nobis gigneret fidem, quantò prædicatio ejus & antiquior præceſſiſſet, & crebrior. Non itaquè novo conſilio Deus rebus humanis, nec ſerâ miſeratione conſuluit: ſed à conſtitutione unam, eandemque cauſam ſalutis inſtituit. Gratia autèm Dei, qua ſemper eſt univerſitas juſtificata Sanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente non cœpta. Et hoc magnæ pietatis Sacramentum, quo totus jam mundus impletus eſt, tam potens etiàm in ſuis ſignificationibus fuit: ut non minùs adepti ſint, qui in illum credidere promiſſum, quàm qui ſuſcepere donatum.

X V.

§. 94. SEd eccè, dùm de tanto mysterio nos verba facimus, duo nobis, *ò Dilecte*, musitantes occurrunt hæretici, unus Arrii, alter Valentini sectator, & video à longè etiàm post ipsos, innumerabilem Turbam stultorum, clamantium, & dicentium iniqua contrà Incarnationis ineffabile Sacramentum. Primus ille Arrianus, temerariâ fronte firmitèr non veretur asserere, puram, non verum Deum, verumquè hominem, Christum extitisse Creaturam. Sed quàm impia, & hæretica sit tanta scelestissimi viri hujus assertio, satìs apertè ostenderunt Athanasius, Ambrosius, cœterique Patres, Synodusque Nycęna firmavit. Christus namquè est Filius Dei, verè, & propriè, non pura Creatura, & est verè, & propriè Dei Filius origine non adoptione, veritate non nuncupatione, æternitate non creatione, procedit enim à Patre tanquàm verbum à corde, quod pertinet ad eandem naturam, præsertìm in Deo, in quo non potest aliquid accidentalitèr

Hæresis Arriana refellitur.

advenire. Pater autem æternus æqualem ſemper generat ſibi filium; Si hoc tu neges, ò Impiè, argumento reſponde: aut Pater æternus hoc non potuit, aut hoc noluit; Si non potuit, infirmus: Si noluit invidus invenitur; Sed utrumque falſum eſt: Patri igitùr Deo, Filius verus, & æqualis eſt. Et ſi Deus animalibus dedit, ut non generent niſi quod ſunt, homo hominem generat, & Deus Filium Deum non generat? Hunc ergò *Filium miſit* Ad Gal. cap. 4. *Deus*, ait Apoſtolus, *in Mundum*, *factum ex muliere*, *factum ſub lege*, *ut eos, qui ſub lege erant redimeret*; qui Filius unum eſt cum Patre, dum ipſe de ſeipſo Io: c. 10. fatetur: *Ego & Pater unum ſumus*. Ergò dum dicit, *unum*, liberat te, *ò Dilecte*, ab Arrio, dum dicit *ſumus*, liberat à Sabellio.

§. 95. Coæternus eſt igitùr Filius Patri, non creatura; & ſi vis ut tibi, ò Hæreticæ, ſimilitudine, tales demonſtrem; occurrat nobis ignis Pater, ſplendor Filius, eccè invenimus coæternos. Ex quo ignis eſſe cœpit, continuò ſplendorem gignit: nec ignis ante ſplendorem, nec ſplendor poſt ignem. Et ſi interrogemus,

quis

quis quem generet, ignis ſplendorem, aut ſplendor ignem? continuò nobis occurrit, ſenſu naturali, prudentia, noſtris mentibus inſita: omnes clamamus, ignis ſplendorem, non ſplendor ignem. Ecce Pater æternus, ecce Filius æternus; ecce Pater non antecedens, ecce Filius non ſequens.

§. 96. Tandem Filius aut ex Patre eſt, aut ex nihilo eſt, aut ex altero eſt, aut ex ſeipſo eſt. Si ex ſeipſo, non rectè Filius dicitur, qui non natus, ſed ingenitus prædicatur. Si ex nihilo: creatura cum cæteris, non creaturæ Author oſtenditur. Si ex altero: non ejus, cui credimus, ſed neſcio cujus incogniti Patris Filius prædicatur. Quod ſi prætèr hæc quatuor, inveniri non poteſt quintum; nec de his, propter evidentem blaſphemiam, tria prædicari penitùs poſſunt: reſtat, ut ſubſtantialitèr de Patre ſit genitus. Et Nativitas ex Matre, tollit admirationem illius ex Patre; ſicut enim ſine exemplo Mater genuit Authorem ſuum, ſic ineffabilitèr Pater genuiſſe credendus eſt Filium ſuum. Coæternus Patri de Matre

natus eſt: Qui aliquandò de Matre non fuit,de Patre aliquandò non defuit. Virgo peperit,quia Virgo concepit:& non ſervato communi rerum ordine, ex integro Corpore Matris,integrū corpus aſſumpſit Chriſtus. Si ergo novo more, nullo exemplo, ſecundùm carnem natus docetur ex corpore, quid mirùm ſi non ſecundùm conſuetudinem humani partus proceſſit ex Patre? Sile ergò ò Arriane, & Filium Dei concede non factum, per quem facta ſunt omnia, non enim per ſeipſum fieri potuit, per quod facta ſunt omnia.

Lues Arriana. §. 97. Scias autem, *ò Dilecte*, Arrianorum venenum adeò Orbem infeciſſe, ut Hic tandem aliquandò gravitèr ingemuerit ſentiens ſe eſſe Arrianum. Et tunc factum eſt, ut propè cunctis Epiſcopis, partìm vi, partìm fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potiſſimum in tantâ rerum confuſione ſequendum foret. Tunc factum eſt, ut non ſolùm parvæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſint; Nec enim tantùm affinitates, cognationes, amicitiæ, Domus: verùm etiam Urbes, Populi, Provinciæ,Natio-

tiones: universum postremò Romanum Imperium funditùs concussum, & emotum est. Namque cum prophana ipsa Arrianorum novitas, velut quædam Bellona, aut Furia, Capto priùs omnium Imperatore, cuncta deindè palatii culmina legibus novis subjugasset: nequaquam deinceps destitit universa miscere, atque vexare: privata, ac publica, sacra prophanaque; omnia nullum boni, & veri gerere discrimen: sed quousquè collibuisset, tanquàm de loco superiore percutere. Tunc temeratæ conjuges, depopulatæ Viduæ, prophanatæ Virgines, Monasteria demolita, disturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergastula, carceres, metalla: quorum pars maxima, interdictis Urbibus, protrusi, atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, attriti, & tabefacti sunt. Tantùm potuit uniùs hominis pestifera lues.

§. 98. Sed jàm alter insurgit Hæreticus, sectator videlicèt Valentini, & ipse antiqui serpentis dente percussus, & dicit: Carnem Domini Salvatoris nihil habuisse *Hæresis Valentini refellitur.*

de Virgine. O' ridicula assertio. Et si ita est, quid egit Christus, illis novem Mensibus, intra Materni Corporis genitale secretum? Illìc utique de ejus ossibus, & medullis, virtute Spiritus Sancti conceptus, & Sapientiâ operante collectus; illìc naturâ stupente compositus; illìc per legitima nascendi spatia, de Carne Carnis est incrementa mutuatus. Quòd si nihìl attracturus erat de propriæ Parentis materiâ, quid opus erat longâ hospitii mortalis injuriâ? Si, inquam, nihil de suo erat corporeus Matris sinus, cœlesti Puero, quotidianis horarum, ac dierum profectibus, collaturus, ubi primùm legitur conceptus, ergo statim consummatus, statim fuit & genitus. Sed non ita est. De primâ dicatur parvuli conformatione, unde ossium compago, membrorumque perfectio prodiit? Nota solemnis temporis consuetudo. Itaque cum animam aliunde susceperit, si Corpus de Matre non habuit, ergo sermo divinus caret veritate, cum veritas sit, quæ eum etiam Filium hominis protestatur. Quo quidem loco, debemus advertere, quod dum non homi-

mi-

minum, sed hominis dicitur, & uno gigni parente monstratur. Legimus namque: *Et peperit Filium suum Primogenitum.* Si nihil in eum de se transtulit Mater, non peperit proprium, sed edidit alienum. At non ita est; namque sicut totus Deus de Deo, ita totum hominis corpus ex homine. De Carne Mariæ coagulatus, de ejus Visceribus formatus, de ejus substantia consummatus: & sanguinem, quem pro Mundo obtulit, de sanguine Matris accepit.

Math. c. 8. & c. 9. & c. 10. & c. 11. 12. 13. & passim. Luc. c. 2.

§. 99. Quod si inter hęc interrogetur, quid fuerit rationis, qua proprietate corporis nostri, naturam deberet induere, id causæ fuit, ut per illam, quam in nostrâ carne peragebat de Mundi hoste victoriam, nostram posset consecrare naturam: & roboraret fragilem conditionem, dum exercebat in fragilitate virtutem; Ac sic & homo contra Diabolum auderet fiducialitèr congredi, si & Diabolus ab homine cognosceret se posse superari. Aliàs rationes jàm adduximus suprâ; Modò ad Valentinianum regredi necesse est, & dicere; Legimus, quod *par-*

Isa. c. 9. *vulus natus est nobis*; ergo non nobis natus est, si nihil sumpsit ex nobis; & si nihil de nobis suscepit, nihil contulit nobis, & tamen quod induit, hoc, omnes Sacræ Scripturæ liberasse testantur; quod sibi Deo junxit, specialitèr hoc redemit. De nostro est quod appendit, de suo est quod donavit. Meum testor esse, quod de cognatâ mihi carne processit, ut meum sit, quod triumphavit. Meum, testor esse, quod obiit, ut meum sit, quod resurrexit. Meum, testor esse, quod intrà tumulum jacuit, ut meum sit, quod in Cœlum ascendit. Et misericordia Dei gratiùs commendari non potuit, quàm ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabilitèr manens, carnem suam verè de Virgine nostrâ susciperet, & speciem dilectionis suæ, homine medio, hominibus daret: quâ ad illum ab hominibus veniretur, qui tamen longè erat immortalis à mortalibus, incommutabilis, à commutabilibus, justus ab impiis, beatus à miseris. Et quia naturalitèr indidit nobis, ut beati, immortalesque esse cupiamus: manens Beatus suscipiensque realem ex Virgine mortalem carnem, ut no-

nobis tribueret, quod amamus, perpetiendo docuit contemnere, quod timemus.

X V I.

§. 100. SEquitur nunc, ò *Dilecte*, innumerabilis illa multitudo ſtultorum, qui impio murmure labefactare non verentur ineffabile Incarnationis Myſterium. Audi, quid dicant. Alii Domino ſolam humanitatem, alii ſolam adſcribunt Veritatem. Alii veram quidèm in ipſo Divinitatem, ſed Carnem dicunt fuiſſe phantaſticam, & ſimulatam. Alii profitentur veram eum ſuſcepiſſe Carnem, ſed Dei Patris non habuiſſe naturam: & Deitati ejus, quæ erant humanæ ſubſtantiæ, deputantes, majorem ſibi Deum, minoremque fingunt; cum gradus in Divinitate eſſe non poſſit. Quoniam quid quid Deo minus eſt, Deus non eſt. Alii cognoſcentes Patris & Filii nullam eſſe diſtantiam, quia non poſſunt unitatem Deitatis intelligere, niſi in unitate Perſonæ, eundem aſſerunt eſſe Patrem, quem Filium, & naſci & nutriri, pati & mori,

Omnes ferè Hæreſes cõtrà Incarnat. recenſentur.

ſe-

sepelliri & resurgere, ad eundem pertinere, qui per omnia, & hominis personam impleret & Verbi. Quidam putant Dominum Jesum Christum non nostræ substantiæ Corpus habuisse, sed ab Elementis superioribus, ac subtilioribus sumptum. Quidam autem æstimant in CarneChristi humanam animam non habitasse, nec fuisse: sed partes animæ ipsam implesse Deitatem. Quorumdam imprudentia in hoc transiit, ut animam quidem fuisse in Domino fateantur: sed eandem dicunt mente caruisse, quia sufficeret homini sua Deitas, ad omnia rationis officia. Iidem asserere præsumunt, partem quandam Verbi in Carnem fuisse conversam, ut in unius Dogmatis varietate multiplici, non Carnis tantùm, animæque natura, sed etiam ipsius Verbi solveretur essentia. At sinamus illos oblatrare, *ò Dilectè*, quantùm volùnt, quantùm valènt, cum egregiè eorum insaniam, eorum inscitia refellat.

§. 101. Nota verò Tu interìm, quod ex Scholâ Theodori Mopsuesteni Episcopi Nestorius Constantinopolitanus Antistes

Nestoriani.

ſtes proſiliit, duaſque in Chriſto Hypoſtaſes, duas perſonas ſecernens, alteram Hominis, alteram Dei: Hominem verè, & propriè Deum, Mariam Deiparam dici poſſe negavit, tametſi Chriſtiparam confiteretur. Unionem ille Dei atque Hominis in Chriſto, non ſubſtantivam, & hypoſtaticam, ſed extrinſecâ efficientiâ quadam, atque habitudine, amoris ac benevolentiæ nexu duntaxat coalitam eſt interpretatus: eo penè modo, quo juſti omnes, & unum cum Deo, & Filii Dei, & Dii dicuntur. Cyrillus primò Alexandrinus Epiſcopus, tum Cœleſtinus Papa, denique Synodus Epheſina prima, exitialem hanc labem, objectâ Catholicæ Veritatis luce, profligarunt. Diodorus Tarſenſis Epiſcopus Neſtorianæ dementiæ eſt *Diodorus Tarſ. Epiſ.* aſperſus infamiâ, ut qui Theodoro Mopſueſteno, ita dux & magiſter preiverit, ſicut Neſtorio Theodorus. Diodorum ab hac inſaniâ vendicare exadversò quamplurimi conati ſunt. Neſtoriani, Pelagianique Dogmatis cognationem declaravit *Pelagius.* Caſſianus libro primo de Incarnatione, itemque Proſper carmine de ingratis. Scilicet

licet Pelagius Christum nou verè, & naturâ Deum, sed humano merito, præmiique loco id adeptum, ut Deus fieret, somniaverat. Inciderat & Leporius Monachus in Pelagii laqueos, sed hinc evasit, oblato Africanis Episcopis, quos inter fulgebat magnus ille Augustinus, emendationis libello.

Leporius.

§. 102. Eutyches Archimandrita Cõstantinopolitanus dum Nestorianam refugit personarum sectionem, nec naturam à personis secernit, ut personam, ita naturam quoque Christi unam ex Deo atque homine conflavit. Accersivit ille sibi à Cyrillo patrocinium, sed incassùm: ut qui tametsi verba Cyrilli aliqua sibi videretur sequi, mentem sanè, ac sententiam non assequeretur omninò. Hic à Flaviano Constantinopolitano Episcopo Synodicè damnatus, in Latrocinii Ephesina Synodo à Dioscoro Alexandrino absolutus: postremò tandem in Calcedonensi Æcumenica Synodo proscriptus est, ac relegatus. Ex duplicis porrò naturæ in unam naturam confusione id indubiè nascebatur, ut non nostræ esset naturæ Christi caro, nec nobis

Eutyches.

Dioscor.

bis Consubstantialis, utpote Consubstantialis Deo; ergo nec à Virgine Matre sumpta, sed aliundè è Cœlo allapsa, vel à Verbo ipso effusa; Ideò nec Virgo Deipara, ut quæ nihil sui impartisset; deniquè id ex stolido commento consequens erat, ut jam nec Deus esset Christus, nec verus Homo; & nec Patri quà Deus, nec nobis quà Homo posset Consubstantialis appellari. Etenim Deitas Christi si carni erat Consubstantialis, uniusque cum eâ naturæ, non erat Patri: ac rursùm Humanitas Christi, si Deo Consubstantialis erat, utique non erat nobis.

§. 103. Eutychiana Lues plures luxuriavit in Sectas; Petrus namque Cnapheus Antiochenus Episcopus, cum Calcedonensi Concilio dixisset Anathema, ac Trisagio illam clausulam addidisset: *Qui passus es pro nobis, miserere nobis*, Theopaschitarum errori, ac Sectæ ortum dedit. Id quoque eliciebatur ex Eutychetis delirio, ut concreta carni, eique consubstantialis facta Deitas Christi, unà pateretur: ac proinde tota Deitas, immò & Personarum augustissima Trinitas;

Petrus Cnapheus.

Theopaschitæ.

nitas;

nitas; ut quæ cum Deitate re idem ſit.

Petrus Mogus. §. 104. Petrus Mogus cum ſedem invaſiſſet Alexandrinam, & Calcedonenſi Concilio dicere cunctaretur Anathema, *Acephali* ſeceſſionem ab eo fecere Eutychiani ejus Urbis, regioniſque, ex eo Acephali dicti: quanquam eo nomine perſepè Eutychiani omnes ſint nominati. Inter Acephalos *Severus. Corrupticolæ. Jul. Hal. Incorrupticol.* Severus Monachus Corrupticolarum, Julianus Halicarnaſſenſis Incorrupticolarum novam ſectam peperit: quod illi corruptibilem Chriſti carnem fuiſſe, utpote carnem: hi incorruptibilem, utpote unius cum Verbo jam naturæ dicerent; quæ omnia fuſiſſimè in orationibus, quas nos, de Hiſtoria Eccleſiaſtica bis Hebdomadâ qualibet, tertiâ & ſextâ feriâ habemus ad populum, elapſis menſibus enarravimus.

Themiſtius. §. 105. Themiſtius Diaconus Agnoitarum in Ægypto Dux, & Princeps extitit, *Agnoitæ.* inde dictorum, quod Chriſto affingerent ignorantiam. Mirum quod Juſtinianus ipſe Imperator in Incorrupticolarum veſaniam delapſus ſit; cujus propagandæ ſtudium, & conatus mors intercepit.

§. 106.

§. 106. Deniquè Joannes Grammaticus, idemque Philoponus dictus, Tritheitis initium dedisse visus est, quod naturæ personæque discrimen nullum esse contenderet: ex quo ut unam in Christo naturam ex unitate Personæ lubens concludebat: ita ex Trinitate Personarum tres in Deo naturas dicere cogeretur invitus. Monophysitæ ab unitate naturæ: Jacobitæ à Jacobo Autore: Armeni à gente dicti, nihil aliud, hi omnes, quàm Eutychiani. Semieuthychiani dicti, qui compositam Christi ex Deo, & homine naturam dicerent: atque inde Patri, hinc nobis consubstantialem: cum Eutychiani unam simplicemque Christi naturam opinarentur: sive Deitate in humanitatem mutatâ, sive potius abreptâ, absumptâque in Deitatem humanitate.

Ioannes Grammaticus. Tritheitæ

Monophysitæ. Iacobitæ.

Semieutichiani.

§. 107. Diù, & pertinacitèr altercatum est, an unus de Trinitate passus, & crucifixus dici posset; cum qui id dicerent Eutychiani, qui negarent Nestoriani à suspiciosis hominibus appellarentur: cum posset è contra id & dici, ne Nestorius, & negari citra fidei periculum, ne Eu-

An dici posset, unus ex Trinitat. passus.

Eutyches Eutychetisque discipuli sibi blandirentur.

§. 108. De Eutychianorum stirpe enati Monothelitæ, ore tenus duplicem Christi naturam confitebantur: cum voluntatem ejus, atque operationem duntaxat unicam agnoscerent. Suam enim propriamque voluntatem, atque operationem unaquæque sibi vindicat rationalis natura. Consensit primùm novellæ impietati Heraclius Imperator: eâ nimirùm spe delusus ab Athanasio Jacobitarum Patriarchâ, fore,ut omnes Eutychiani in duplicem Christi naturam convenirent: si ut unus Christus, unusque operans, ita una ejus operatio, atque una voluntas dici sineretur. Hùc ergò pertinebant & Heraclii Ecthesis, & Constantis Typus. Sergius Patriarcha Constantinopolitanus Syris, & Jacobitis origine, & fide conjunctus, denique Cyrus Alexandrinus eâdem devinctus impietate, momenti plurimùm attulere ad Imperatores in ejus patrocinio confirmandos,donec Synodus sexta Æcumenica, damnatâ profanâ novitate pacem Ecclesiæ, lucemque Orbi reddidit Christiano.

Monothelitæ.

§. 109.

§. 109. Quemadmodùm Eutychetis Monothelitæ, ita Neſtorii extremus partus fuere Felix, atque Elipandus. Ille Urgelitanus, Hic Toletanus Epiſcopus. Non proprium & naturalem, ſed adoptivum Dei Filium, & ſervum illi Chriſtum hominem prædicabant. Ita in duos ſecabatur filios, duaſque perſonas Chriſtus, cum Filius perſonam ſonet: nec unus idemque Filius Dei eſſe poſſit & naturalis, & adoptivus. Oppreſſa ſtatim hæc novitas eſt in Franco-Fordienſi Synodo, nec ulterius ſerpſit. *Felix & Elipandus.*

§. 110. Novi ſubinde, poſterioribus ſæculis, ad hanc uſquè noſtram ætatem, coorti ſunt Hæreſiarchæ; qui tamen non aliud, quàm priſcas dudumquè jugulatas hæreſes renovare potuerunt. Aut enim humanæ, aut divinæ Chriſti naturæ integritatem, aut utriuſque ſubſtantivam, & hypoſtaticam unitionem labefactare conati ſunt; nec aliud omnino ſunt conſecuti, quàm, ut partæ omnibus retrò ſæculis de iſtiuſmodi erroribus victoriæ, quæ penè abſoleverant, in memoriam hominum

Luther. Calvin. revocarentur, ac reviviſcerent. Ex Lutheri, & Calvini diſcipulis, Michael Ser- *Servetus* vetus Hiſpanus, & Valentinus Gentilis Italus, dum Trinitatis fidem in Galliâ, & Germaniâ, maximè autem in Poloniâ op- *Valentin. Gent.* pugnant, non Arianorum tantum, ſed & Ebionitarum, Sabellianorum, Photinianorum, Eutychianorumque oppreſſas du- *Alii Hæretici recentiores.* dùm hæreſes ex orco revocarunt. Horum ex ſemine prodiere Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Franciſcus David, & tandèm Fauſtus Soccinus Senenſis, hujuſquè infauſta proles Crellius; quòt Nomina, tòt Monſtra, non in ejus tantum fidei, qua vel Trinitatem, vel incarnationem complectimur, ſed in totius Chriſtiani nominis excidium conjurata. Prodiit deniquè anno 1645. Calvinianus Anonymus, qui Neſtorio Catholicum Dogma, Cirillo Alexandrino Apollinaris inſaniam, Epheſinæ primæ Synodo turpiſſimæ hallucinationis infamiam affingeret: uſqueadeo novandi petulans libido eos exagitat, qui ſemèl Romanæ noſtræ fidei frœna excuſſerunt.

§. 111. Hæc ſingularis, hæc unica tot

tan-

tantorumque errorum, malorumque causa, nempè à Dogmatibus Ecclesiæ nostræ Romanæ defecisse; cupiunt mali homines diabolico agitati spiritu, & ab antiquò cupiverunt, benè fundatam Romanæ Ecclesiæ antiquitatem, sceleſtâ novitate subruere, & Summorum Pontificum instituta, perversâ lege, violare; sed Illa, divino roborata spiritu, pura, sancta, illibata, tanquam castissima Virgo, ut olim appellabatur, stabilis & inconcussa semper perseveravit, & immobilis perseverat. Ipsa enim sola est, quæ sedula, & cauta, depositorum apud se dogmatum custos, nihil in iis umquàm permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena: sed omni industriâ hoc unum studet, ut vetera fidelitèr, sapienterquè tractando, si qua sunt illa antiquitus informata, & inchoata accuret & poliat: si qua jam expressa & enucleata, consolidet, firmet: si qua jam confirmata & definita, custodiat, & foveat. Quod si aliquando Concilia celebravit, hoc fuit, ut quod antea simplicitèr credebatur, hoc

Laudes Romanæ Ecclesiæ.

idem posteà diligentiùs crederetur : quod anteà lentiùs prædicabatur, hoc idem posteà instantiùs prædicaretur : quod anteà securiùs colebatur, hoc idem posteà solicitiùs excoleretur, uno verbo fuit hoc profectus fidei, non permutatio.

Fides Romana quæ ad mysterium incarnationis.

§. 112. O' igitùr Beata Ecclesia Romana, quæ unum Deum in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis æqualitatem in unâ divinitate veneratur : ut neque singularitas substantiæ, Personarum proprietates confundat, neque item Trinitatis distinctio, unitatem separet Deitatis. Beata, inquam, Romana Ecclesia, quæ in Christo duas veras, perfectasque substantias, sed unam Christi credit esse Personam : ut neque naturarum distinctio unitatem Personæ dividat, neque itèm Personæ unitas differentias confundat substantiarum. Beata, inquam, Romana Ecclesia, quæ ut unum semper Christum & esse, & fuisse fateatur, unitum hominem Deo non post partum, sed jam in ipso Matris utero confitetur. Beata, inquam, Romana Ecclesia, quæ Deum factum hominem non conversione natu-

turæ, ſed perſonæ ratione intelligit: Perſonæ autem non ſimulatoriæ, & tranſeuntis, ſed ſubſtantivæ, & permanentis. Beata, inquam, Romana Eccleſia, quæ hanc Perſonæ unitatem, tantam vim habere prædicat, ut proptèr eam, miro ineffabilique myſterio, & divina homini, & Deo adſcribat humana: nam proptèr eam Filium de Cœlo deſcendiſſe non abnegat, & Deum ſecundùm hominem credit in terra ex Virgine natum, & paſſum; & proptèr eam deniquè & hominem Dei Filium, & Deum Filium Virginis confitetur.

§. 113. O' *Dilecte*, Depoſitum tantum cuſtodi, infeliciſſimis præſertìm noſtris hiſce temporibus: devita prophanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circà fidem exciderunt. *Novitates*, non vetuſtates, non antiquitates: vitanda namque novitas, tenenda antiquitas, prophana eſt novitas, ſed ſacrata vetuſtas. O' *Dilecte*, depoſitum tuum cuſtodi propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus ſuperſeminent

zizania ſuper illud bonum ſemen, quod in agro ſuo Filius hominis ſeminavit. Depoſitum cuſtodi, quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenii, ſed doctrinæ: non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam; In qua non author debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. Aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia ſubjicias; Nolo pro auro aut impudentèr plumbum, aut fraudulentèr æramenta ſupponas: nolo auri ſpeciem, ſed planè naturam. O' *Dilecte*, ſi te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, eſto ſpiritualis tabernaculi Beſeleel, pretioſas divini dogmatis gemmas exculpe, fidelitèr coapta, ſapientèr adorna, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatemque. Intelligatur, te exponente, illuſtrius, quod anteà credebatur obſcurius. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antè vetuſtas non intellectum venerabatur: eadem tamen, quæ didiciſti, ita doce,

ut

ut cum dicas novè, non dicas nova.

§. 114. Et vos, ò Hæretici, redite tandèm aliquando ad cor, Romanam veneramini Ecclesiam, in ejus viscera iterùm ingredimini, ut iterùm renascamini. Extra illam non est salus. Extra Illam non est quies. Extra illam non est gaudium. Heù vestra miseranda conditio, quantis curarum æstibus, quantis turbinum motibus exagitamini? Namque quà ventus impulerit, incitato errore rapimini, & aliquandò in vosmetipsos reversi, tanquam contrarii fluctus relidimini. Nunc temerariâ præsumptione ea, quæ incerta videntur, approbatis, nunc irrationali metu, etiàm quæ certa sunt, expavescitis; incerti quà eatis, quà redeatis, quid appetatis, quid fugiatis, quid teneatis, quid dimittatis. Quæ quidem dubii, & malè penduli cordis afflictio, divina erga vos miserationis est medicina, si sapitis. Idcircò etenìm extrà tutissimum Ecclesiæ Romanæ portum diversis cogitationum quatimini, verberamini, ac penè necamini procellis, ut excussa in altum elatæ mentis vela deponatis, malè novi-

tatum ventis expenſa: voſque intra fidiſſimam ſtationem placidæ, ac bonæ Matris reducatis, atque amaros illos, turbulentoſque errorum fluctus primitùs revomentes, poſſitis deincèps vivæ, & ſalientis aquæ fluenta potare. Quod vobis dignetur ille impertire, quem in præſepio jacentem, & ad quem nunc noſtra humilis redit Oratio, bruta etiàm animalia reverentur.

XVII.

§. 115. INtereà jacet in præſepio totius mundi honor, & gaudium, & velut fœnum animalibus brutis exponitur: & hæc creatorem ſuum

Nativitas Christi admirabilis Angelis.

naturalí agnoſcunt inſtinctu, flectuntque genua, inſuetiſque naturæ motibus conditori exhibent reverentiam. Sed & adſunt ſodales Angeli, novumque Canticum, lyris, tubis, & timpanis, cœleſtemque harmoniam, meloſque canunt: *Nupſit Virgo, peperit Virgo, Mater eſt Virgo.* Exultant, lætantur, omniſque triumphat militia Cœleſtis: & admirantur immen-

ſam, intra Corporis parvi Sacellum, inhabitantem Domini majeſtatem. Et ut quondàm Heliſæum Prophetam puero, ità nunc infinitum Deum Infanti exiguo menſuratum. Aſcendunt ipſi, & deſcendunt ſupèr Filium hominis: intrant & exeunt, intùs potentiam, foris clementiam admirantes. Stupent Oceanum infinitum modico vaſe concluſum: lucidiſſimum, ardentiſſimumque Solem, levi nubecula circumvelatum: & uno verbo Omnipotentem Deum, infirmum hominem factum.

§. 116. O' Virginem virginum, minima ſunt terrena gaudia, dum adſunt divina myſteria. Quis nobis hæc nuntiet, quis dicat quod Virgo peperit, quod concepit? Cecinerunt hoc Angeli, nunc Paſtores referant, quod viderunt; Dum circa gregem ſuum excubarent, *facta eſt cum Angelo multitudo militiæ Cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*. Luc. c. 2. O' feſtiva vox, ò dulcis gratulatio, non niſì fœminæ, cujus uterus ediderat prolem, & humano ge-

neri

neri Virgo, & Mater pepererat Salvatorem, fieri decebat. Dignum enim erat, ut ei fœminæ, quæ Dominum Cœli, & terræ procreaverat, & post editum fœtum integra manserat, non mulierculæ, humanis solemnitatibus, sed Angeli divinis laudibus festa celebrarent. O' dies igitùr omni Sole lucidior. O' tempus à cunctis sæculis expectatum. Quod prę stolabantur Angeli, quod Cherubin, & Seraphin cupiebant, hoc nostro tempore revelatum est. Quod illi videbant per speculum, & per imaginem, nos cernimus in veritate. Qui loquebatur in Israelitico populo per Isaiam, Hieremiam, cęterosque Prophetas, nunc nobis per Filium loquitur. Vide, O' *Dilecte*, quid sit intèr vetus testamentum, & novum. Illis loquebatur per nubilum, nobis loquitur per serenum. Ibì Deus videbatur in Rubo, hìc de Virgine Deus nascitur. Ibì ignis erat populi peccata consumens; hìc Christus est populi peccata dimittens. Benè ergò canunt Angeli: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.*

§. 117.

§. 117. Gaudia igitur cęlitus hominibus nuntiantur, lætitia imperatur, & nox illa facri partus confcia novis fulgoribus illuftratur. Gloriantur in Cœleftibus fuperi, & pax in terrâ bonæ voluntatis hominibus confirmatur. Et benè pax de Cœlo nunciatur hominibus, quia jam pro hominibus pax ipfa de Cœlo defcenderat; veneratque toto Orbe in pace compofito; & tantâ pace, quanta in Mundo nec antea fuerat, nec fit pofteà futura. Ita pacis fe latorem etiam oftendens, qui Deo Patri mundum reconciliavit, & Angelos, qui homines peccatores defpexerant, fuoque judicaverant indignos confortio, ad concordiam ftuduit revocare: ut jam non dedignentur hominem habere focium, quando fupra fe vident hominem Deum.

§. 118. Sed fuper omnia idcircò factum oftenditur, ut tanta pax effet in terris, ut ille adveniffe folidiùs firmaretur, qui ficut quidam maximus intèr Gentiles Poeta cecinerat,

Pacatum regit patriis Virtutibus Orbem

Ille

Ille Deum vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis
Te Duce, ait, *si qua manent sceleris Vestigia nostri*
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Tum igitur verè terra soluta est ab omni bellorum formidine, velut idem testatur

Jam nova progenies Cœlo demittitur alto, &
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Et . . . . . Toto surgit gens aurea mundo.

Hæc nimirùm Poeta Summus Octaviano Principi scribens: quia levis eum spiritus flaverat auræ, & Sibyllino Carmine divinum aliquid interiùs, etsi nescius, suo præmonstrabat Eloquio. Unde inquit

Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas.

Sci-

Scilicet quidquid olim ſibyllæ prædixerant, quod jam totum illo in tempore compleretur; quia mirabilitèr, ſicut ſuo in loco monſtrabitur, velut organis, his uſus eſt Spiritus Sanctus, ut penè omnia, quæ de Chriſto ſunt adimpleta, ſuo Carmine longè anteà prænotarent. *In Diſer.*

XVIII.

§. 119. INtèr verò tàm ineffabilia Sacramenta, illud maximè ponderandum: quod non Scribis, & Phariſæis, non Sacerdotibus, & Doctoribus: non Principibus, & divitibus; ſed ruſticis Paſtoribus, ut dictum eſt apud Bethlehem, tantum eſt revelatū arcanum: quos Dei claritas circumfulſit: Angeluſque, magnum illis gaudium annunciavit. Properant alacritèr ſimplices videre natum Regem prȩſepio recumbentem: inveniunt, agnoſcunt, adorant, & jubilant. Extrinſecùs nuda erant, & egena, quæ videbantur; nihil in illâ paupertate videbatur divinum, ſed ipſis deſupèr tantùm fuit revelatum arcanum, quorum innocentia, & ſim- *Paſtores properant videre natum Regem.*

simplicitas est electa, ut laus Christi perficeretur. Execrari solent Ægyptii hoc hominum genus, & abominabiles eis sunt oves, & pecora, sed hujusmodi officium ab initio auctoritatem obtinuit: & Abel pastor munera de gregibus ovium obtulit; & in eo, quod cœlitùs inflammari visa sunt, quod grata Deo essent, cunctis innotuit. Pastores Abraham, Isaac, & Jacob, viri Deo familiares. Pastores Patriarchæ duodecim: Pastor ipse Moyses, qui in Eremi recessu, dum sequitur pecudes, in rubo conspicit Deum, & Signorum potestate collatâ, populi recipit principatum. Helisæus constituitur de aratro Propheta: David de post fętantes accipitur,& in Regni Solio collocatur. Agnum, quem abominabatur Ægyptius, sacrificari sibi præcipit Deus, ejusque sanguis Israelitarum postibus illitus, exterminatorem Angelum repellit, & abigit; nec timetur mortis periculum, ubi tantæ reverentiæ conspicitur signum. Meritò igitur Pastoribus, tàm ineffabile est Sacramentum apertum, & tàm absconditum est revelatum arcanum.

Gen. c. 46. Gen. c. 4.

§. 120.

§. 120. Porrò ad Paſtores, *& hoc* ait Angelus, *vobis ſignum* : vobis humilibus : vobis obedientibus : vobis non alta ſapientibus : vobis vigilantibus, & in lege Dei meditantibus die ac nocte ; *hoc*, inquit, *vobis ſignum*. Quod ? quod Angeli promittebant, quod Populi requirebant, quod Prophetæ prædixerant, hoc fecit Dominus nunc, & oſtendit vobis: in quo recipiant increduli fidem, puſillanimes, ſpem, perfecti ſecuritatem. Hoc ergo vobis ſignum. Cujus rei ſignum? Indulgentię, gratiæ, pacis : & pacis, cujus non erit finis. Hoc eſt ergo ſignum : *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in Præſepio* : Deus eſt tamen mundum reconcilians ſibi. Morietur proptèr peccata veſtra, & reſurget proptèr juſtificationem veſtram : ut juſtificati per fidem, pacem habeatis ad Deum. Hoc ſignum pacis Propheta quondàm Regi Achaz proponebat petendum à Domino Deo ſuo, ſive in excelſo ſuprà, ſive in inferno deorsùm. Sed impius Rex recuſavit: non credens miſer, quod in ſigno hoc ima ſummis in pace ſocianda eſſent : quatenùs & In- *Iſa. c. 7.*

Inferi Domino descendente salutari in Osculo sancto signum pacis, & ipsi recipiant; & superni Spiritus idipsum nihilominùs cum ad Cœlos redierit, æternâ suavitate participent. Sed nota, ò *Dilecte*, quod Angeli loquutur Pastoribus; quando peccando eramus à Deo extranei, extraneos nos Angeli deputabant; sed quia cognovimus Regem nostrum, recognoverunt nos Angeli cives suos. Nota etiam, quomodò Cęlestis curia fidem astruat, Angelus Mariam, Angelus Joseph, & Angelus Pastores edocet.

Ecclesiæ surgentis initia. §. 121. Hi sunt Ecclesiæ prima surgentis initia, quos Pastor Pastorum, pascendis gregibus aptos, ab ipso sui natalis exordio, ad ovilis curam conduxit; quia enim magnum sibi emere ovium gregem postmodùm suo sanguine destinaverat, à principio Pastores locat, quibus sui postea ovilis curam committat. Quantùm horum devotione simplicium Virgo lætata est, quantùm de illorum præconio jucundata, gaudebat: quia Deo prodente, notum hominibus esse cæperat, dignationis divinæ mysterium, quod fuit

pro

pro illorum ſalute in ejus utero geſtum. Gaudebat, quia Cœleſtium unguentorum odorem jam Mundus ſentiebat: & in eorum fragrantiam Sponſa currebat. Gaudebat notam hominibus ſupernæ Civitatis filiorum lætitiam fuiſſe factam, quam jamdudum ipſa auribus beatis audierat. Gaudebat, & tacito intùs animo, cuncta volvebat: conſervans omnia verba hæc, & conferens in corde ſuo. Sicut prudentiſſima: ſicut ſapientiſſima: ſicut honoris Dei, communiſque dignitatis vera Zelatrix, cuncta myſteria, cordis armario, reſervabat, ſuo tempore revelanda, & Prophetarum oraculis conferebat: non tam ut ſibi faceret fidem, cui plurima ſuppetebant veritatis teſtimonia, omni fide majora, quàm, ut cum opus eſſet, ad omnium utilitatem, rei ordinem, prout geſta eſt, fidelibus aperiret. Unde ab illâ, ut creditur, poſt Domini Paſſionem, Diſcipuli, & Apoſtoli, eorum, quæ nunc de his euangelica narrat hiſtoria, multa dicerunt.

Cant. c. 1.

Luc. c. 2.

§. 122. Imitentur nunc Paſtores Eccleſiæ, Paſtores iſtos, qui illorum typum, figu-

Exhortatio ad Paſtores Eccleſiæ.

N

figuramque gesserunt: Vigilent super Gregem Domini, & custodiant vigilias noctis super ovile commissum; ut divino lumine perfundantur, & fiant participes Cœlestium Secretorum. Quærant mentis fervorê, & gaudio, puerum Jesum, non jam cum animalibus in humili Præsepio jacentem, sed cum Angelis ad Patris dexteram, in Gloriæ, & Majestatis Throno, sedentem. Ad modicum oves relinquant, ut Jesum in legis gremio, & in scripturarum abdito perscrutentur: & cum invenerint, & adoraverint, redeant statim ad Gregem sibi commissum, & illius solicitè curam gerant: atque hoc, non ut isti semel, sed sæpiùs, iteratis vicibus, agant, euntes, & redeuntes, ascendentes, & descendentes super Filium hominis.

§. 123. Unusquisque etiam, qui privatus vivere creditur, tenet Pastoris officium, si bonorum actuum, mundarumque cogitationum multitudinem aggregans, hanc justo moderamine gubernare, scripturarum pastu nutrire, & contra Dœmonum insidias servare contendat.

XVII.

XVII.

§. 124. SEd tempus est, ò *Dilecte*, ut & nos transeamus cum Pastoribus istis usque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est. Videamus divinæ dignationis beneficium, gratìs nobis præstitum: videamus pondus Charitàtis ingens, quo dilexit nos Deus, & immensas ei gratias cum jubilo mentis reddamus. Quid retribuam Tibi, *ò chare Puer*, pro omnibus quæ dedisti mihi? superat omnem sensum, excedit omne desiderium, omnemque mentem obruit pietas tua, dilectio tua, clementia tua. Sacrificium laudis reddam tibi in humilitate meâ: hoc habeo, hoc reddo. Pauper enim sum ego, & in laboribus à juventute meâ: & nihil tibi est charius, quàm animus verâ humiltate curvatus. Fit magna, fit pretiosa, fit dives anima, cum se de proprio pauperem esse cognoscit: potens si humilitatem saluberrimam non declinet: felicissima, & fidelissima si servet in carne, quod in Cœlis superbi Angeli amisisse probantur.

Oratio ad Puerum Iesum.

Ad Te, *Sancte Puer*, & excelse Domine, nemo se erigendo pervenit, quin potiùs humiliatus ascendit: Cum altissimus sis, proximior redderis supplicatione curuatis. Nostra Tibi humilitas accepta est: amas, quod proptèr Te non quæris; desideras, quo non indiges. Ipsa est enim vitæ nostræ Mater germana charitatis: æstuantis animæ singulare præsidium: contraria debellatrixque superbiæ; & sicut illa per Diabolum origo criminum, ità ista per Te noscitur fons, esse virtutum. Hanc Tu, *Domine Jesu*, sic nobilitare voluisti, ut eam non solùm præcipere, sed etiam suscipere dignareris. Subiisti quippè in assumptâ hominis naturâ judicium, qui judicaturus es mundum: & humanum genus sic habuisti charum, ut rerum Dominus naturam servi dignareris assumere; & tanta fuit in tuâ Sanctâ Incarnatione, humilitas, quanta est incomprehensibilis in Divinitate Majestas.

Per Te, *admirande Puer*, pœna facta est, requies æterna, & Incarnatio tua, & Nativitas tua fidelium salutis introitus. Per Te nos vidimus, cum cæci essemus;

Tu

Tu etenim naturâ immutabilis,in Te semper manens, & innovans omnia, noluisti, ut es, nobis apparere: nam si apparuisses, fulgore tuo nos incendisses potiùs, quàm renovasses, quàm illuminasses; sed claritatem magnitudinis tuæ nostris oculis temperasti: ut dum tua nobis claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per tuam similitudinem in tuâ luce claresceret. Vidimus gloriam tuam, quasi Unigeniti à Patre: non utique visuri, nisi per socium corpus nobis apparuisses. Nam si Judæi in gloriosam Moysis, cum nostræ esset naturæ particeps, haud potuerunt faciem intendere; sed homini etiam justo opus fuit velamento, quod ejus gloriæ magnitudinem obumbraret; quonam pacto nudam, & ipsis Supernis Virtutibus inaccessibilem Divinitatem, nos ex luto, & terrâ facti, sustinere possemus? Idcirco Tu humiliasti Te, & habitasti in nobis, ut ad Te accedere, Tecum loqui, & conversari audactèr liceret.

Dedisti nobis in principio non Æternitatis, non Ævi, sed temporis, divinam imaginem; sed nos sartamtectam non habui-

buimus; Tu excelſus humilians Te, veniſti ad nos, & noſtram carnem ſuſcepiſti; & attuliſti immortalitatem carni, & ſalutem imagini. Iniiſti nobiſcum conſortium, & quidem priori longè admirabilius: tunc enim id, quod præſtantius erat, nobis donaſti, & nunc, quod deterius eſt, accepiſti; & accipiendo, ut bonus Samaritanus, nos infirmos curaſti, levaſti, ſanaſti; Et captivos redemiſti; Et immenſo, ac infinito pretio pro nobis debitoribus ſatisfeciſti.

O' cibus, & panis Angelorum: de Te implentur Angeli, de Te ſatiantur, & non faſtidiunt;de Te vivunt, de Te ſapiunt, de Te beati ſunt. Ubi es propter me! In diverſorio anguſto, in pannis, in præſepio. Tu, qui regis Sydera, ſugis ubera; imples Angelos, faris in ſinu Patris, & taces in ſinu Matris. Sed locuturus es competente ætate, nobis Euangelium impleturus; propter nos paſſurus, propter nos moriturus, ad exemplum præmii noſtri reſurrecturus; ante oculos diſcipulorum in Cœlum aſcenſurus, ad judicium de Cœlo venturus.

Ad-

O' Admirabile Sacramentum, ò profundum arcanum, ò ars nova & à sæculo nec amplius inventa nec audita; quod namque Philosophorum præterivit superbiam, hoc tua humilis tradidit disciplina. Docuisti, se prosternendo, de hostibus triumphare. Quare confestim nos inimici tui cervices nostras subdidimus Veritati, quando exinanitam tuam majestatem, & obnubilatam claritatem conspeximus. Tunc divinæ tuæ humilitatis admiratores, & emulatores evasimus, tunc ęgrotare nos cognovimus, & sordes vitiaque nostra non dissimilavimus: cæcitatem nostram vidimus, & à Supernâ Veritate, quæ nobis apparuit, illuminandos nos esse consensimus.

Tu Veritas humilitate inexcogitabili exinanisti temetipsam, cum carnis nostræ sarcinam suscepisti: & humilitatem proposuisti, quam imitaremur: apposuisti, cui agglutinaremur: imposuisti, qua reprimeremur. Etenim cum innatâ, & inextinctâ siti veritatem, uti felicitatem summam concupiscamus, facilè modò inducimur, ut illi coaptemur, cum eâ in-

firmatâ infirmemur, cum humili humiles ſimus. Sanaſti proinde infirmitate tuâ tumorem noſtrum, & elevaſti abjectione tuâ amorem noſtrum; & hoc feciſti, ne fiducia noſtra proſterneret nos, ſed intuentes ante pedes noſtros infirmam Divinitatem tuam ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ, noſtram infirmitatem diſcamus abjicere, ut ad tuam fortitudinem elevetur; & tenentes humilitatem tuam, tanquam debilitatis noſtræ fulcimentum, ad tuæ majeſtatis altitudinem aſcendamus.

Et quia mundus de ſuorum Dogmatum vanitate ſuperbiebat, in eo conſtituiſti ſalvandorum fidem, quod & indignum videretur, & ſtultum: ut & deficientibus omnibus opinionum præſumptionibus, ſola gratia revelaret, quod comprehendere humana intelligentia non valeret. Sapientes enim mundi dum alta Dei quærunt, & humilia non credunt, iſta prętermittentes, & propter hoc nec ad illa pervenientes, inanes & leves, inflati & elati, tanquam inter Cœlum, & terram perpendent: cum ſint ſapientes hujus ſę-

culi,

culi, sed non Tui, à quo factum est sęculum. Nam si esset in eis vera Sapientia, quæ Tu es, intelligerent profectò carnem à Te potuisse suscipi, nec tamen Te in carnem potuisse mutari. Intelligerent Te assumpsisse quod non eras, & permansisse quod eras: & in homine ad nos venisse, & à Patre non recessisse, & in eo mansisse quod es, & nobis apparuisse, quod sumus: & corpore infantili tuam esse potentiam indutam, & mundanæ moli non esse substratam.

Agnoscimus ergo nos, *ò dulcissime, & misericordiosissime Jesu* in humilitate tuâ gloriam tuam, & de salutis nostræ Sacramentis gaudemus: quia nisi tu Verbum Dei naturam suscepisses humanam, & non habitasses in nobis: nisi in Communionem Creaturæ Tu descendisses Creator, & docuisses, & illuminasses, & sanasses, & satisfecisses, & omnia bona donasses, & uno verbo vetustatem nostram ad novum principium tuâ nativitate revocasses; regnaret mors ab Adam usque ad finem, & super omnes homines condemnatio insolubilis permaneret: cum de

solâ

folâ conditione nafcendi, una cunctis effet caufa pereundi. Et ifta eft ratio, qua Tu factus es filius Virginis Mariæ, & Maria Virgo mater tua, ut quem Pater genuit ex æternitate, ipfum Virgo conceptum proferret in tempore: ut peccatum, & pœna peccati, quę per fcelus corruptę mulieris intravit in mundum, per inviolatę Virginis partum removeretur à mundo. Factus es proinde homo noftri generis, ut nos per Te redempti, divinę naturę tuę poffemus effe conforțes. Originem, quam fumpfifti in utero Virginis pofuifti in fonte Baptifmatis. Dedifti aquę, quod dedifti Matri; Virtus enim Altiffimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quę fecit, ut Virgo te pareret Salvatorem, eadem fecit, ut regeneret unda credentem.

Quid autem fanandis ęgris, illuminandis cęcis, vivificandis mortuis aptius fuit, quàm ut fuperbię vulnera humilitatis remediis curarentur? Adam pręcepta Dei negligens peccati induxit damnationem, Tu factus fub lege reddifti juftitię libertatem; Ille Diabolo obtemperans ufque ad prevaricationem, meruit, ut in

ipfo

ipſo omnes moreremur; Tu Patri obediens, feciſti, ut in Te omnes vivificaremur; Ille cupidus honoris Angelici, naturę ſuę perdidit dignitatem, Tu infirmitatis noſtrę ſuſcipiens conditionem, nos in Cœleſtibus collocaſti.

Subtilitèr igitur ſubtilem inimicum expugnare voluiſti, & quaſi ſub Eſcâ humanitatis hamum celaſti Deitatis: quatenùs Ille, qui omnem Carnem ſubegerat, talem inveniret, quę ſibi prorsùs nihil deberet: quam dum illicitè contingeret, meritò eam, quam quodammodò licitè poſſidebat, amitteret. Sic quippe Serpens antiquus deludendus erat,ut qui homines deluſerat, pęr hominem Deum & ipſe deluderetur; Et ſicut incautum hominem ſibi callidè ſubjecerat, ita per hominem Divinitùs cautum, non callidè, ſed ſapientèr ſubjiceretur. Hęc reverâ ſumma ſapientia eſt, quando illud hoſti pręponitur; quod priùs ab hoſte dejicitur & quaſi quod ceciderat vires reſumeret: & expugnatus ab hoſte, iterùm adversùs hoſtem pugnare pręſumeret. Hęc reverâ ſumma ſapientia eſt, quia enim primus

homo

homo ceciderat, oportuit, ut homo secundus conderetur, ut rectitudinem, quam primus homo non tenuerat, iste quasi emendando teneret. Hæc reverâ summa sapientia est; poteras namque Tu hostem istum humani generis solâ majestate prosternere, sine incarnationis humilitate: sed nos, qui proprio transgressionis crimine tenebamur obnoxii, qui per culpam servitutis vinculis tenebamur obstricti, eramus non violentiâ liberandi, sed misericordiâ redimendi.

Plaudimus igitur manibus, *ò dulcissime Jesu* maximas tibi gratias agentes, quoniam Tu parvulus natus es nobis, & filius datus es nobis, cujus principatus super humerum tuum; sed est in humilitate tuâ gloria tua, & in exinanitione tuâ exaltatio nostra. Verè Domine, qui sic misericorditèr fecisti, potens es; nullus Regum par est egentibus tuis: nullæ Purpuræ piscatorum tuorum retibus adæquantur, quando illæ in mundanas tempestates impellunt: hæc ad littus æternæ securitatis adducunt. Pauper de nobis, dives de tuo.

Su-

Superbiam ergo humilitate curvasti, & mortem morte prostravisti; nosti enim bona facere per iniquos, convertens in adjutorium, quod præparatum est ad nocendum. Potentius esse judicasti læsiones ad utilitatem convertere, quàm causas malorum radicitùs amputare. Nam quomodo beneficiorum tuorum cognoscerentur signa, si adversæ parti non mostrarentur indicia? Tu ergo *Domine Jesu Christe*, qui sic Te pro nobis humiliasti, ut homo fieri dignareris, non in nobis patiaris perire, quod decrevisti miseratus assumere. Meritum nostrum indulgentia tua est, dona quod offeramus, custodi quod exigas, ut valeas coronare, quod præstas. Vince in nobis Invidi potestatem, qui sic decipit, ut delectet, sic delectat ut perimat. Fac, ut non possit Iniquus, ne convalescat Interitus; Dominatum in nobis non exerceat, qui numquam præstitit: sed Virtus tua nunc possideat, quæ creavit, quæ redemit; Doleat periisse, quod fecit, dum nos non viderit perire, quos voluit. Et quoniam, ò *Amabilis Puer*, in nobis non est, quòd remune-

nereris, sed in Te semper est, quod largiaris, eripe me à me, & conserva me in te. Impugna quod feci, & vendica quod fecisti: tunc ero meus, cum fuero tuus. Via sine errore, Veritas sine ambiguitate, Vita sine fine, Largitor beatitudinis, Illustrator veritatis, qui creasti omnia, regis omnia, conservas omnia, innovas omnia; ubique totus, nullis locis inclusus, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum & terram potentiâ præsente, non naturâ indigente; Tu fecisti me, tu redemisti me, tu factor meus, ego opus tuum, dona noxia odisse, & profutura diligere, in te ponam prospera, mihi applicem semper adversa. Petimus, quia jubes, pulsamus, quia præcipis, & sine fine conferre mavis, qui semper commones, ut rogeris. Fac tandem, Domine, ut dominetur Ratio, serviat Caro: quoniam à Te solo potest effici, ne fragilitate corporis valeat offendi.

XVIII.

XVIII.

§. 125. **H**Oc omnibus diebus Vitæ noſtræ agamus, *ò Dilecte*, hoc continuè meditemur, ſemper Jeſum quærentes Puerum in Viâ, donèc tranſeamus in Bethlehem illam, & videamus eum non à Matre jam in tempore naſcentem, ſed à Patre in æternitate orientem: Bethlehem domus Panis interpretatur, & illam ſignificat, de qua dictum eſt: *Beatus qui manducat panem in Regno Dei*. Hanc poſt reſurrectionem ingreſſus eſt Chriſtus, & glorioſus cum Angelis triumphat; In iſtam Bethlehem, ſpiritu interìm tranſeamus, dum non licet corpore; & à caducis iſtis voluptatibus, ad Cœleſtes illius Civitatis delicias, noſtrum animum applicemus; & relinquentes carnis illecebras, cœleſtibus nos epulis inſeramus.

De Cœleſti Bethlehem, ad quam exoptandam animus excitatur.

Luc. c. 14.

§. 126. Quanta lætitia, quanta gloria cum pervenerimus ad te, Cœleſtis Bethlehem, Domus panis, Civitas Sancta, pulchritudo pacis, corona decoris, æternæ vitæ prœmium, requies opulenta, & ſum-

ſummum, & ineffabile bonum! Videbimus Deum ſicutì eſt: & videntes amabimus, & amantes laudabimus. Videbimus in lumine tuo, ò Domine, lumen tuum; quoniàm apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Quale autèm lumen? Lumen immenſum, lumen incorporeum, incorruptibile, incomprehenſibile, indeficiens, inextinguibile, inacceſſibile, increatum, veridicum, divinum, quod oculos Angelorum illuminat, quod Sanctorum juventutem lætificat, & eſt lumen luminum, & fons vitæ, quod eſt ipſe Deus. Tu namquè, Bone Deus lumen es, in cujus lumine lumen videbimus: Scilicèt Te in te, in ſplendore vultus tui, quando videbimus faciem tuam.

§.127. O' Cœleſtis Bethlehem, manſio ſecura, viſio totum continens, quod delectat; in te Angelorum, Archangelorumque concinunt Chori; in te Virtutes, Dominationes, Poteſtates regnant, & Cherubin; in te Thronis, & Poteſtatibus aſſociati ſunt Seraphim: Patriarcharum, & Prophetarum aggregatus eſt numerus: Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Vir-

& Virginum gaudet exercitus: & in te paritèr omnium electorum animæ, jucundissimâ Dei visione, lætantur. Ibi planè cuncti, qui adsunt, affluentissimè de illo fonte Divino potati, ab illius delectationis ubertate, inebriantur, & quadam voluptatis inundatione pinguescunt; adeò ut præ nimietate exultationis, & gaudii, sine ulla intermissione, laudibus sui Conditoris intendant, charitate flammescant, admiratione suspirent, jubilatione tripudient, & consonâ, illum, cordis modulatione, glorificent.

Non capit sensus, non videt oculus, non percipit auditus, neque animus viatoris attingit, quanta sit eorum beatitudo, ineffabile bonum, sempiterna fruitio, dilatata possessio, pacata requies, exuberans gaudium, interna refectio, spiritualis dulcedo, amorisque vehementia. Equidem in illâ regione diei non succedit nox, securitatem non perturbat metus, neque felicitatem commaculat luctus. Diem quippè illum Sol cœlestis illuminat, qui nescit occasum: Securitatem autèm ejus Dei visio collata confirmat; fruitio verò

O ipsius

ipſius regnantium felicitatem facit eſſe perpetuam.

